B x x

A $4x + 12$ $3x$

$3x$ $3x + 12$

$4x = 3x + 12$

$x =$

OBSERVATIONES
CIRCA CERIMONIAS
MISSÆ,

Ex Italico Exemplari ROMÆ edito & approbato, in Latinum idioma translatæ.

A

R. D. ANDREA HASKOWSKI I. V. D.

QVIBVS

Speciales Ritus Missæ Solemnis. Præparatio ad Missam. Fructus Sacrificij Missæ. Expositio Mystica & Moralis Vestium Sacerdotalium, ac totius Missæ: sunt addita.

Accessere Modernæ Editioni. DECRETA *à Sacr: Rit: Congr: In Ordine ad Missam & Diuinum Officium, post Missalis & Breuiarij Rom: recognitionem, condita.* Item *Conclusiones & Regulæ nonnullæ ex Comm: R. P. D.* BARTHOLOMÆI GAVANTI. *In Rub. Missalis & Breu: Rom.*

V. E. Cum Licentia Superiorum. M. K.


CRACOVIÆ,
Ex Officina Schedeliana. Anno Dñi 1675.
Impensis GEORGII SCHEDEL.

Facultas A. R. D. Censoris Librorum.

OBseruationes circa Cerimonias Missæ, ex Italico idiomate in Latinum, à R. D. ANDREA HASCOVVSKI I. V. D. Ecclesiæ Collegiatæ S. Georgij in Arce Cracou: Canonico, Cathedralis Pœnitentiario, versæ, vnà cum additionibus in prima ejusdem chartæ facie descriptis, cōceduntur imprimendæ; vt potè cùm in rem sint Sacerdotum.

M. Iacobus Vstiensis S. Th. & I. V. D. per Diœcesim Cracouien: Ordinarius librorum Censor.

OBSER-



Declaratio.

1. 2. 3. *Indicant, Imaginem Crucifixi aut venerabile Sacramentum* (*si in Altari fuerit*) *incensari debere ter.*

4. 5. *Reliquias seu Imagines SS. quæ sunt à parte Euangelij, incensandas bis.*

5. 7. *Reliquias item quæ sunt à parte Epistolæ, incensandas similiter bis.*

8. 9. 10. *Latus Altarû, quod est à cornu Epistolæ, incensandû ter, juxta dispositionem Candelabrorum, incipiendo à medio Altarû.*

11. 12. *Inferiorem partem ad idem cornu Epistolæ, incensandam semel superiorem quoque semel.*

13. 14. 15. *Planitiem seu Mensam Altarû, procedendo ab eodem cornu Epistolæ, incensandam ter.*

16. 17. 18. *Latus aliud Altarû, quod est ad cornu Euangelij, ter incensandum juxta dispositionem Candelabrorum.*

19. 20. *Inferiorem & superiorẽ partẽ ad idem cornu incensandam bis.*

21. 22. 23. *Planitiem seu Mensam Altarû ibidem, incensandam ter.*

24. 25. 26. *Anteriorem Altaris partem, seu latus quod Celebranti opponitur, manu aliquantũ demissa, procedendo à latere Euangelij ad medium Altarû, incensandum ter.*

27. 28. 29. *Alteram partem anteriorem similiter, vsque ad cornu Epistolæ incensandam ter.*

OBSERVATIONES CIRCA CERIMONIAS MISSÆ.

Prooemium.

SAcrum Conciliū Trident. Sess. XXII. Decr. de Obseru. & euitan. in celebrat. Miss. mandat Episcopis, vt edicto & pœnis propositis caveant, nè Sacerdotes alijs quàm debitis horis celebrent; néve ritus alios aut alias cerimonias in Missarum celebratione adhibeant, præter eas quæ ab Ecclesia probatæ & frequenti ac laudabili usu receptæ fuerint.

In gratiam igitur Sacerdotum, qui offi-

cium ſuum diligenter facere cupiunt, concinnatum eſt hoc breve, principalium, quas in celebrando ineffabili Altaris ſacrificio obſervari convenit, cerimoniarum compendium: in quo omnia tum è Rubricis Miſſalis, noviſſimè auctoritate (Vrbani VIII) recogniti, tum è Decretis Sacræ Rituum Congregat: necnon ex vſu piorum & prudentum Sacerdotum, excerpta habentur: vbi ſimul multa ſuperflua, quæ pleriqꝫ committunt, notantur, ut ab illis abſtineant. His nonnulla inſuper è Commentarijs GAVANTI ſunt inſerta.

OBSER-

OBSERVATIO I.

Quomodo Sacerdos se ad Missam, per Confessionem & Orationem, præparare debeat.

SAcerdos celebraturus Missam, si conscientiam peccato mortali grauatam habuerit, Confessionem Sacramentalē præmittat est necesse. Vtiliter autem fecerit, si sola etiam venialia, pro opportunitate, confiteatur. Debet quoq̃ue Matutinum cum Laudibus absoluere. Tum secedēs vacabit aliquantùm orationi, totus in seipso recollectus, considerando ex vna parte majestatem & præstantiam sacrificij, quod Deo pro vivis & defunctis oblaturus est; ex altera propriam vilitatem & indignitatem.

De præparatione latiùs infra.

Quòdsi per tempus licuerit, Psalmos illos quinque ad finem Rubricarum Missalis posi-

tos, cum adjunctis ibidem orationibus recitabit.

Expediet quoque, vt ſudariolum mundum in promptu, pro occurrente neceſſitate habeat.

Hoc autem vel à cingulo pendens, vel ſub Planeta ad dextram portabit, vt Gauantus docet, præcauens nè in Altari ponatur; nec item pileum ſiue biretum: eſt enim hoc valdè indecens, vt idem inquit.

II.

Quòd Miſſa ab eodem præuidenda ſit, manus lauandæ & calix inſtruendus.

Libro Miſſalis accepto, videbit in eo, prælegetque diligenter quam dicturus eſt Miſſam, & ſignacula ſuis locis apponet.

Miſſa eo fine præuidenda, vt ſi mutanda ſit oratio maximè Secreta, quæ ſit eadem tum alia, puta Commemorationis & Feſti, tempeſtiuè huic mutationi occurratur; tum ne accidat error in prolatione verborum, cum ſcandalo auditorum, vt memoratus Auctor dicit.

Manus deinde lauabit, dicens Orationem.

nem: *Da Domine, &c.* Tum Calice accepto, supra illum Purificatorium, Patenam, Hostiam, Pallam, Velum & Bursam, quæ Corporale plicatum intus contineat, ponet. Hæc autem omnia munda & nitida (prout nimirum tantū decet sacrificium) sint oportet.

Qui prædicta notabiliter immunda ad celebrandum adhibet, peccatum mortale committit, ex communi DD. sententia.

III.

Quæ sint eidem obseruanda in vestibus sacris induendis, & dum è sacrario ad Altare procedit.

SAcras vestes, (*quæ itidem mundæ juxta proximè dicta & integræ non laceræ debent esse*) induens, dicet orationes in Missali præscriptas, *Impone Domine &c.* cum alijs quæ ibi sequuntur.

Antequam autem Amictum siue Humerale induerit, signo crucis se, manu sola (non cum Amictu) muniet, & crucem ad superiorem Amictus partem assutam osculabitur, moxq; Amictum collo accommodabit, & funiculis ad pectus adstringet. Tum alias vestes suo ordine induet.

Et abſtinebit tunc à collocutione cum alijs. Veſtitus modo jam dicto & pileatus, Calicem ea parte qua nodus eminet, manu ſiniſtra accipiet, eumque portabit ante pectus & non vltra eleuatum, tenendo dextram protenſam ſupra eundem Calicem, ne Burſa aut aliud quippiam in terram cadat: factaque Cruci, vel imagini, in Sacrario reuerentia, ibit ad Altare capite tecto, cum grauitate, modeſtia, & oculis demiſſis, non ſalutando nec reſalutando vllum in eundo. Tranſiens ante majus Altare, ſi in eo non ſit venerabile Sacramentum, capite cooperto, profundè ſe verſus illud inclinabit; ſi autem fuerit, ſed clauſum in Tabernaculo ſeu Ciborio, genuflectet. capite vt prius tecto; ſin expoſitũ, caput aperiet & genuflectet. Iam verò ſi in Altari quod tranſit, eleuetur SS. Sacramentum, flexo vtroque genu caput deteget, expectabitque tantiſper dum eleuatio finiatur. Quòd ſi Sacerdos tunc, vel ſumat vel diſtribuat Sacramentum, vel hoc idem adhuc poſt conſecrationem, vel etiam pro deuotione Quadraginta Horarum expoſitum maneat, vno genu flectet, caput aperiet, ac illud adorabit.

Sin autem tranſeundum illi ſit ante Altare, in

re, in quo exposita est solemniter Reliquia insignis Sancti, de quo fit festum ibidem, capite aperto inclinabit se illi profundè: in alijs autem Reliquiarum expositarum casibus, habeatur ratio Altaris tantùm.

His modo dicto obseruatis, iter suum capite tecto, & manu super Calicem posita prosequetur.

IV.

Quid, ad primum Altaris gradum venienti, faciendum?

VEniens ad infimum Altaris gradum, caput deteget, ministroq; pileum (*extra Altare ponendum*) porriget, & Cruci profundam reverentiam faciet.

Crux in Altari semper ad Missam, in medio candelabrorum collocari debet; idq; tunc etiam, quando in Altari SS. Sacramentum clausum & non expositum manet; item quando icon seu tabella picta aut statua Altaris, est ipsamèt imago Crucifixi,

Quòd si ibi fuerit venerabile Sacramentum, in eodem infimo gradu genu flectet decenter, sine vlla corporis & suipsius cõtorsione.

Non vtetur etiam pileolo ad Missam absque facultate Summi Pontificis; ea verò

rò habita, à conſecratione nihilominus Vſque ad Communionem incluſiuè, illum deponere debebit. Neque etiam geſtabit annulum in digito, quamuis Doctor, Canonicus, Prælatus, vel Protonotarius è nō participantibus, fuerit.

V.

Quid, dum aſcendit ad Altare?

Aſcendens ad Altare, ponet Calicem à parte Evangelij, extraheťque è Burſa Corporale; ac illam quidem collocabit rectam ſupra Altare, ad eandem partem Euangelij, Corporale autem explicabit in medio Altaris ſupra lapidem conſecratum, & in medio Corporalis ponet Calicem præparatum Vt ſupra, extendendo velum ita vt cooperiat totum Calicem ab anteriori parte: factaq; Cruci, capitis inclinatione, reuerentia, ibit ad Miſſale, inueniet Miſſam, ſignacula apponet, reuerſuſque ad medium Altaris, faciet vt prius Cruci reuerentiam, ac conuertendo ſe verſus cornu Epiſtolæ, deſcēdet ad pauimentum, *ſine ſub infimum gradum Altaris*, Vbi factâ profundâ reuerentiâ Cruci, vel (ſi fuerit SS. Sacramentum) genuflexione, inchoabit Miſſam.

VI.

V I.

Quo situ Corpus se habere, & qualiter manus jungere debeat.

AD inchoationem Missæ, stabit rectus manibus junctis, tenens pollicē dextrum supra sinistrum in modum Crucis (Quod semper quoties manus junget seruabit, præterquam post consecrationē) & eleuatis ijsdem ad pectus, ita ut illarū summitas respiciat faciem Sacerdotis, non mensam Altaris: (Quod similiter seruabit semper, quando se vertet & transibit ab vno loco Altaris ad alium,) incipiet Confessionem stans (vt dictum) rectus, vsque ad *Gloria Patri.* Psalmi, *Iudica me Deus.* vbi inclinabit solùm caput: dicendo autem *Confiteor*, & per totū *Misereatur* Clerici seu ministri, vsque dum ei responderit *Amen*, stabit profundè inclinatus. Ad illa autem verba, *Deus tu conuersus*, paululùm se inclinabit, vsque ad *Aufer à nobis*, inclusiuè. *Circa Confiteor id etiam aduertat, vt post nomina Apostolorū Petri & Pauli, non subjungat nomen sui Patroni, aut alterius Sancti. Tum ne se inclinet aut vertat ad ministrum dicens*, Et vobis fratres &c.

 hoc

hoc enim ſolus miniſter & non Sacerdos facere debet. Niſi celebret coram Epiſcopo.

VII.

Quis modus in ſignando ſe ab eodem tenendus?

INcipiens, *In nomine Patris, &c.* clara id voce proferet, ſimulq; producet ſignum crucis à fronte ad pectus, ponendo prímùm manum ſiniſtram ſub pectore, deinde vertendo ad faciem palmã manus dextræ cum omnibus digitis extenſis ac ſimul junctis, *eamq; ita demittendo vt non tranſeat terminos manus ſiniſtra.* Quem modũ ſeruabit ſemper, quoties in Miſſa ſeipſum ſignare debebit: non tamen oſculabitur manum nec digitos, ſub finem ejuſmodi ſignationis.

VIII.

Quomodo & quando oſculum Altari figat.

OSculando Altare (quod ſemper fit in medio illius) non debet vnquam facere ſignum Crucis in loco quem oſculatur. Id autem oſculi genus faciendum ab ipſo ſemper, quoties ſalutare vel benedicere debet populum, Item dum dicit

cit: *Oramus te Domine*, ad illa verba. *Hic sunt*. Et ad initium Canonis, ad verba, *Ac petimus*. Et illa post Consecrationem, *Ex hac Altaris*. Et in fine Missæ Requiem, dicto *Placeat*, ante initium Euangelij S. Ioannis, quantumuis non sit danda benedictio populo.

I X.

Quænam junctis manibus dicat.

OMnes Introitus Missarum post signũ Crucis fronti & pectori impressum, vel supra librum in aëre (quando dicitur Missa Requiem) formatum, leguntur stando junctis manibus, & ad pectus, ut dictum sup. eleuatis. Eodem modo dicuntur, *Kyrie*, *Gloria*, *Euangelium* vtrumque, *Credo*, *Offertorium*, *Sanctus*, *Oremus*, *Præceptis*, *&c.* vsque ad initium *Pater noster* exclusiuè. Item *Communio* & *Ite Missa est*, vel *Benedicamus*, & *Requiescant in pace*. Ad initium tamen *Gloria in excelsis*, & *Credo*, debent extendi, eleuari & jungi manus. Similiter quando primum benedicturus est rem aliquam; exceptis aqua, item hostia & calice, ad verbum *Benedixit*, in consecratione illorum.

X.

Quomodo se ad populum vertat.

DIcto Hymno Angelico *Gloria &c.* osculabitur Altare, junget manus juxta modum sup. dictum vertet se ad populum cum grauitate oculisque demissis, ac ita conuersus totus, dicet *Dominus vobiscum* disiungendo manus & mox complicãdo, ac eleuatas vt sup. tenẽdo. Quod idem seruabit semper, quoties ad populũ se vertere debebit. Hoc etiam animaduerso, vt ne vnquam caput inclinet versus populum, nec nimis diducat manus, nec dorso Altari inhæreat.

X I.

Quando & qua rationo manus disiungat.

OMnes Collectæ seu Orationes, verba Præfationis *Sursum corda,* & à *Verè dignum,* Vsque ad *Sanctus* exclusiuè. Verba Canonis, *In primis qua &c.* vsque ad *Memento.* Item illa, *Et omnium circumstantium, Communicantes, Vnde & memores, Supra qua propitio.* Et, *Ipsis Domine,* post Memento defunctorum, *Nobis quoq; peccatoribus.*

teribus. Et, *Pater noster*, dicuntur manibus disiunctis, ad latitudinem Missalis ad summùm eleuatis, ita tamen vt non excedant humeros: vtque palma vnius manus opponatur alteri, & sese veluti respiciant. Quæ disiunctio manuum in orationibus, intelligenda est vsque ad verba, *Per Dominum nostrum*, vel ad verba *In vnitate*, quandò Collecta terminatur per verba, *Qui tecum viuit*, vel, *Qui viuis & regnas*, exclusiuè: tunc enim & non prius junguntur simul, in eleuandis manibus ad complicandum illas, non excedatur vltra mentum siue barbam.

XII.

Inclinationes capitis quales & quando facere debeat.

Inclinationes capitis in Missa duplices fiunt. Altera profunda, ita vt inclinetur etiam dorsum. Altera non profunda, vt inclinetur solummodò caput. Profunda inclinatio facienda est, dum Sacerdos dicit *Confiteor*, & vsque dum minister finiat *Misereatur.* Item ad illa verba, *Munda cor meum* & *Iube Domne benedicere.* Præterea ad *Sanctus* & *Agnus Dei*, &, *Domine non sum dignus.* Tum quoties manus tenentur

junctæ

junctæ supra Altare. Inclinatio autem non profunda fit ad totum *Gloria Patri, &c.* & *Oremus*, & nomina IESVS, MARIA, & Sancti, cujus tunc festum vel memoria celebratur. Item ad nomen Papæ. In Hymno item Angelico, ad verba hæc: *Deo. Adoramus te. Gratias agimus tibi. Suscipe deprecationem nostram.* In Præfatione dicendo *Gratias agamus*, ad verba *Deo nostro*, In benedictione populi ad vocem *Deus*. Aduertendum tamen est, ad nomen IESVS magis debere inclinari caput, ad alia minus. Et quando dicitur. *Per Dominum*, in fine Orationis seu Collectæ, ad nomen IESVS inclinandum esse competenter caput versus medium Altaris. Similiter inclinatur caput, ad primum & secundum *Memento*. Et ad verba, *Tibi gratias agens*. Et ad, *Per eundem Christum, &c*, ante, *Nobis quoq; peccatoribus*. Quod in Missali nouissimè recognito expresse in Canone adnotatum habetur.

XIV.

Qualiter sese gerat tunc, quando SS. Sacramentum in Altari est expositum.

Quando

QVando stat expositum venerabile Sacramentum in altari, vbi celebratur (quod quàm parcissimè fieri debet) caueat, ne dum se vertit ad populum, dorsum obuertat Sacramento; sed osculo Altari impresso & genu flexo, conuertet se ad cornu Euangelij, & ibi stans dicet, *Dominus vobiscum*: deinde facta genuflexione Sacramento, ibit ad librum & dicet *Oremus*, conuersus aliquantulum ad Sacramentum. Hanc porrò genuflexionem coram Sacramento seruabit semper, quoties ad medium Altaris accedet, vel à medio recedet, vel transibit ante medium. Ad *Lauabo*, facta primùm genuflexione juxta dicta, ibit ad cornu Epistolæ, descendet è gradibus, & stans aliquantùm extra Altare, lauabit & terget manus, facie ad populum versa. Ad *Orate fratres*, post osculum Altaris & genuflexionem, vertet se ad cornu Euangelij, & dicet hoc idem *Orate*. sed non perficiet circulum; rursus tamen genuflectet: quia redit ad medium. Finita vltima Oratione post Communionem, claudet Missale manu dextra versus calicem, reuertetur ad medium & osculabitur Altare, faciet genuflexionem & conuersus, vt ante dictum, ad cornu Euangelij dicet

Domi-

Dominus vobiſcum & ibidem ſtabit, ad *Ite Miſſa eſt*: quo finito redibit ad mediam, & facta adoratione venerabili Sacramento, dicet *Benedicat vos Omnipotens &c.* mox genufle&et & conuerſus ut prius in cornu Euangelij, dabit benedictionem non perficiendo circulum, neq; in medio genufle&et, ſed in eodem latere conuerſus ſtatim ſignabit librũ ſeu tabellam Euangelij vltimi, non Altare. Recedens ab Altari (ſimiliter & ad illud accedens) vtrumq; genuflectet coram SS. Sacramento. Faciens tunc ſermonem ad Altare, ſtabit ad cornu Euangelij capite aperto, conuerſus aliquantùm ad SS. Sacramentum. *Similiter* quãdo daturus eſt ... ſolutionem communicare volenti, priuſ ...àm ſumat purificationem.

X I V.

Quòd ſe ſignare, dicto Dominus ſit in corde *non debeat, & ad finẽ Euangelij cum oſculo,* Per Euangelica &c. *ſubiungere.*

POſtquam dixerit, *Dominus ſit in corde meo, &c.* ante Euangeliũ, non eſt opus vt ſe ſignet, aut dicat, In nomine Patris,

stris, &c. Euangelio finito, etiã tunc quãdo legitur Passio, ad illam partem quæ dicitur in tono Euangelij, osculabitur ejusdem Euangelij initium & dicet *Per Euangelica dicta, &c.* In Missa autem, pro Defunctis hoc totum omittitur. Cum dicit Euangeliũ, stabit quantùm commodè poterit recto corpore, non innitẽdo brachijs vel manibus supra Missale, vel Altare, tenebitque pedes firmos & æqualiter situatos versus cornu Euangelij, non versus Altare.

X V.

Circa Offertorium quæ eidem sint obseruanda.

IN oblatione Hostiæ & Calicis quam facit, aduertat, ut ne patenam aut Calicẽ supra oculos attollat, sed ad pectus tantùm. Velũ Calicis complicatum (*idq; per ministrum, ut vult Gauantus*) ponendũ est ad cornu Epistolæ propè tabellam Secretarum, extra Corporale. Ampullæ quoq; propiùs admouendæ sunt per Sacerdotem Calici, ne gutta aliqua cadat super Altaris máppam.

X V I.

Quomo-

Quomodo ſignare oblata vel Sacramentum debeat.

FActurus ſignũ Crucis ſupra oblata vel Sacramentum, junget primùm manus, deinde faciet Cruces præſcriptas, dũque illas facit, manum ſiniſtram in Altari ponet: poſt conſecrationem autem tenebit duos priores digitos junctos ſupra Corporale, ne quid cadat de fragmentis; quòd ſi Corporale fuerit latum, totam manum in eo poterit ponere.

XVII.

Cruces qualiter formet.

CRuces in Miſſa ſupra oblata, Sacramentum & alia, fiunt manu dextra, extenſa, ita vt eâ formentur duæ lineæ, vna in longum, altera in tranſuerſum, eo ſcilicet modo quo pingitur in Miſſali ✠ non autem per quatuor puncta ⁘ Extenſio autem manus in longum & latum, non debet vnum palmum excedere.

Pars item tranſuerſa Crucis, formanda eſt manu ſimiliter tranſuerſa, non autem recta, qua ad abigendas à calice muſcas, (vt ait Gauantus,) vtimur.

In crucibus quoque communibus Hoſtiæ

ſtiæ & Calici, aduertendum eſt, vt inter Hoſtiam & Calicem medio loco fiant, & non ſupra vnum aut alterum tantùm.

XVIII.

Qualiter & quando percutiat pectus.

AD *Sanctus* non percutitur pectus: neque ad *Agnus Dei*, in Miſſa pro defunctis, ſed tantùm in Miſſa pro viuis. Itẽ percutitur ad verba: *Nobis quoque peccatoribus.* Et ad, *Domine non ſum dignus.*

Hæc autem percuſſio non grauis, ſed levis & modeſta debet eſſe, tribus digitis poſtremis extenſis & ſimul junctis, aduertendo, vt nè tangatur pectus ſiue Caſula digitis primoribus, quibus SS. Sacramentum contrectatur.

XIX.

Conſecrationem quomodo faciat.

VErba Conſecrationis ſupra Hoſtiam & Calicem, debent dici ſecretò, lentè, diſtinctè & continuatè ſiue non interruptè, cum attentione, ſtãdo & inclinando ſe, pedibus ſupra planiciem ſupremi gradus ſituatis, cubitiſque ſupra Altare poſitis, & cum debita diſtantia, ita vt nè

barba aut os tangat Hostiam, vel subintret Calicem. Debent item eadem verba proferri sine faciei aut capitis motione supra Hostiam & Calicē, maximè ad instar Crucis: tum sine deosculatione vtriusq; prolatisque verbis consecrationis Calicis, & dicto secretò, *Hæc quotiescunque &c.* genuflexus adorabit Sanguinem & surgens acceptum Calicem cum Sanguine eleuabit, ac deinde in Altari reponet & adorabit, extersisque (si opus fuerit) supra Calicem digitis quibus Sacramentum attrectauit, tenebit eosdē semper junctos (idque propter fragmenta quæ possunt adhærere) vsque ad purificationem seu ablutionem digitorum post Communionem.

XX.

Quomodo digitos ad Calicem abstergat.

CAsu quo fragmentum aliquod digitis adhæserit, curabit illos ad labrū anterius Calicis, qua parte scilicet Sanguis Domini sumendus est, extergere, & non ad aliam partem.

X X I.

Eleuationē Hostiæ & Calicis qualiter faciat.

Eleua-

ELeuatio Hostiæ & Calicis facienda est grauiter, ita tamē vt in ea nō fiat longa mora: & sufficit eleuare tantùm, ut videantur à circumstantibus supra caput Sacerdotis, non eleuando brachia in altum, quantùm eleuari possent fiatque id semper supra Corporale, non inflectendo Hostiam aut Calicem retro caput, tenēdoq́ue reliquos digitos à tergo Hostiæ vnitos & rectos ac stabiles, non diductos. Ad Hostiam & Calicē dum eleuantur, debet Celebrans oculos semper fixos tenere: dum autem demittuntur aut deponuntur, non debet vnquam osculari manum, neque nodum pedemúe calicis: hunc autem deponendo, cauebit ne manipulo tangat Hostiam.

Id etiam hic obseruabit, vt eleuata & deposita in corporali Hostia, statim eam genuflexus adoret, postea surgens pallam è Calice deponat.

XXII.

Genuflexiones quomodo.

GEnuflexiones coram SS. Sacramento faciendæ sunt sine strepitu pedum, cum inclinatione recta corporis vsque ad terram, hoc est, scabellum Altaris

seu

(*seu locum illum cui celebrans insistit*) & genu dextro solo, positis hinc inde supra Altare manibus, quarum digiti quatuor debent esse juncti, ob reuerentiam fragmentorum, vt sup. dictum: neque tunc manus in formã Crucis sunt componendæ.

XXIII.

Quando dicit, Per ipsum, *quid facere debeat.*

DIcens, *Per ipsum, &c.* faciet ter signũ Crucis cum Hostia intra Calicem, ita vt prope modum labra seu extremitates ejusdem Calicis attingat: reliquas autem duas cruces inter Calicem & seipsum formabit, nec faciet altiores Calice (& omnes istæ Cruces debent esse vniformes) eleuabitque paululùm Calicem cum Hostia, & reponet eam in corporali: non tamen retro Calicem eandem tenebit, aut gyrabit, nec etiam eleuabit sursum, ne iterum eleuationẽ videatur facere. Et quãdo seipsum signat Patena, nõ attollat eam supra caput; *sed à fronte ad pectus ea se signet, signoq; crucis integro, vt declarauit S. Rit. Congreg: Præceptis salutaribus*, dicitur capite non inclinato.

XXIV.

XXIV.

Quid, ad Agnus Dei?

QVando dicit *Agnus Dei*, ad primum *Miserere nobis*, debet disiungere manus, tenensque sinistram supra Corporale, dextra tribus vicibus juxta solitum percutiet pectus, finitoque, *Dona nobis pacem*, manus junget, & dicet, *Domine* IESV CHRISTE *qui dixisti, &c.*

Oratione hac primâ finitâ, si est daturus pacem, osculatur Altare in medio, & instrumentum pacis ei porrectum à ministro, & dicit, Pax tecum. *Minister respondet*, Amen. *Si non adsit qui hujusmodi instrumento pacem recipiat à Celebrante, pax non datur, etiamsi illius datio Missæ cõueniat: nec osculatur Altare, sed dictâ præmissâ Oratione, statim subjungit alias Orationes, vt in Ordine Missæ.*

Notent hoc ij, qui etiamsi illis non porrigat Instrumentum pacis, nihilominus osculantur Altare, & dicunt, Pax tecum.

XXV.

Quæ obseruanda sint eidem dicenti, Domine non sum dignus. *Et*

dum

dum detergit Patenam, sumitq́; Sanguinem.

DIcens, *Domine non sum dignus*, tenebit (*inter pollicem & indicem sinistræ manus*) Sacramentum demissè non monstrando illud circumstantibus, inclinabitque se modicùm, non autem genu flectet, nec in latus se intorquebit; & priusquam communicauerit, accipiet Sacramentum in manum dextram, sinistra Patenam subtus tenens, ac eodem seipsum supra Patenam (non excedendo ejus limites) signabit, & sumet, ac nonnihil in meditatione ejusdem diuinissimi Sacramenti subsistet. Deinde Pallam à Calice remouebit, genuflectet, & Patenâ fragmenta è Corporali colliget, tum pollice & indice dextræ manus exterget Patenam supra os calicis, non inuertendo eam, nec faciendo strepitum cum illa supra Calicem. Sumpturus quoque Sanguinem, non est opus vt genuflectat, sed accipiẽs manu dextra Calicem ad nodum, signabit se eodem, Patenam autem sinistrâ accipiens, tenebit eam subtus Calicem, sumens sanguinem, & primam Purificationem. Circa hanc autem obseruabit, vt circumagat leuiter intra

Calicem vinum, quò sic totam illam circumferentiam perfundat, quam sanctissimus Domini Sanguis attigit. *Vel certè curabit, pro prima hac purificatione, in eadem quantitate affundi vinum, quà fuerunt prima species Sanguinis.* Obseruabit item, *vt hanc ablutionem, per eandem Calicis partem sumat, quà Sanguinem Domini hausit. Præterea in sumptione Sanguinis, non plus quàm ter calicem ori admoueat; purificationem verò sumens, bis tantùm id faciat: alioquin stomachum adstantibus facilè mouebit.*

XXVI.

Post Communionem & Purificationem quid faciet?

Communione sumpta, & purificatione vtraque (Calicis nimirum & digitorum) peractâ, statuet Calicem penes Purificatorium extra Corporale, vt non inficiatur guttis vini. Nec vnquam digitos ori admouebit, vt ijs labra abstergat, aut eos lambat; sed detersis ijsdem digitis Purificatorio, sumet alteram Purificationem, tum os dicto Purificatio absterget, ac eodem mox, pollice & indice manus dextræ adhibito, leuiter labrum Calicis qua parte sumpsit, deterget, reliquis digitis ad fun-

dum pertingendo: tum Calicem juxta ante dictum modum operiet, in medio Altaris statuet, ac velùm à parte anteriori, vt in principio Missæ, extendet, & interim à spuendo abstinebit aliquantulùm.

XXVII.

Circa Purificationem die Natalis Domini, quid peculiariter obseruabit?

CElebraturus plures Missas, vt in die Natalis Domini, faciet digitorum tantùm ablutionem vino, in alio vase decenti (vt etiam in Missali nouissimè recognito sub finem Missæ in Vigilia Natiuit: Dom: adnotatur) & illam sumet postea in vltima Missa post Purificationē Calicis, quem non exterget, vsque dum Purificationem in vltima Missa peregerit.

XXVIII.

Quid circa Cõmunionē populi?

QVando Communicaturus est alios intra Missam, aduertat, vt ne vinũ pro Purificatione prius infundi sibi faciat, quàm Communionem distribuerit: sed sumpto Sanguine operiat palla Calicem, & vbi communicauerit alios, reuertatur

ad

ad A[illegible] nihil dicens, sed solùm mundet Patena Corporale (si in eo repositæ fuerãt particulæ) & si ibi reperta fuerint fragmẽta, ea Calici immittet. Quòd si etiam species vini consecrati ad fundum confluxerint, illas sumet: tum secretò dicens, *Quod ore sumpsimus*, purificabit se.

XXIX.

Circa Benedictionem populo dandã, & vltimum Euangelium quid seruabit?

TAndem dicto, *Placeat &c.* osculoque Altari impresso, vnam tantùm benedictionem populo dabit (dicens: *Pater, & Filius, ✠ & Spiritus S.*) nunquam aut duas, multò minus tres: & hoc quamuis & ante se, & à tergo circumstãtes (puta Clerum in choro vel moniales & populum ante Altare) habeat. Dabit autem illam, eleuata manu dextera sic, vt nõ transeat suam frontem, & in latum, ab vno humero ad alterũ diducta, moxq; conuersus ad cornu Euangelij, vbi debet esse, tabella seu charta cum Euangelio, *In principio* id signabit ac seipsum, legetque: vbi autem peruenerit ad illud: *Et Verbum Caro*

ro factum est. genuflectet versus cornu Euangelij (*non in medio Altaris*) & surgens reliquum perficiet ibidem. Sub finem osculari non debet principium Euangelij ejusdem, nec item alterius, si id loco Euangelij S. Ioannis, juxta Missas & Festa occurrentia legerit. *Obseruandum etiam hîc est.* In Dominica Palmarum in Missis priuatis, legi debere Euangeliũ *Cum appropinquasset &c. Quod habetur in benedictione Palmarũ ejusdẽ Domini:* Item In Missis Defunctorum non dari benedictionem, sed post osculum Altaris dici Euangèlium S. Ioannis, *In principio, &c.*

XXX.

Quid deniq; post Missam, in reditu ad Sacrarium?

Finita demum Missa, non se vertet ad faciendam reuertiam populo. Quòd si ibi fuerit præsens Papa, Cardinalis, Legatus Apostolicus, vel Patriarcha, Archiepiscopus, Episcopus in sua Diœcesi, Vel alius Prælatus in loco suæ jurisdictionis, conuertit se ad illum, coram quo ex prædictis celebrauit, & facit reuerentiam conuenientem: acceptoq; ad nodum Calice manu sinistra, dextram autem extensam

sam supra illum tenendo, descendet ad pauimentum Altaris, inclinabit se profundè versus Crucem, vel genu flectet (si ibi fuerit SS. Sacramentū) & caput pileo (quod ipsi tunc à ministro porrigitur) operiens, oculis demissis, cum grauitate, (aduertendo ad ea omnia quæ ante Missam) redibit ad sacrarium, dicens Antiphonam, *Trium puerorum, &c.* cum Cantico: *Benedicite omnia, &c.* Quæ Antiphona in festis duplicibus dicitur integra, & tempore Paschali additur Alleluia. Tum exuens se sacris vestibus, primùm Casula, dein stola, tum manipulo & alijs, manus lauabit. secendensque in locum commodum, debitas Deo persoluet gratias.

Obseruandæ sunt etiam hæ Rubricæ.

I. NE dicantur Missæ votiuæ, nec pro Defunctis in festis duplicibus, nec ijs diebus, quibus prohibetur fieri festum duplex de SS. (*nimirum infra Oct. Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, in Hebdom: Majori, Feria IV. Ciner: & in Vigilijs Natiu: D. & Pentecostes*) ex Decreto Sacræ Rit: Congregat.

II. Ne dicatur *Gloria in excelsis*, in Mis-

ſis votiuis de B. M. V. excepto Sabbato: etiam in Eccleſijs Tituli ejuſdem B. M.

III. Ne dicantur Miſſæ vltimùm prohibitæ, vel conceſſæ ſolùm certis Regularibus: prout habetur in Decreto impreſſo, 8 April. 1628.

IV. Quando injungitur Oratio, *Deus refugium, &c.* aliáue ſimilis pro occurrente neceſſitate dicenda, non omittantur præſcriptæ in Rubricis Miſſalis. In feſtis tamen primæ Claſſis, prædicta Oratio omitti debet. *Hactenus ſuprà memoratum exemplar Romanum.*

ADDI-

ADDITAMENTUM PRIMUM, IN QUO SPECIALES MISSÆ SOLEMNIS RITUS DESCRIBUNTUR ET DECLARANTUR.

Cùm Missa solemnis, suos peculiares ritus, qui in superioribus non sunt cōprehensi, habeat; operæ pretium visum est, eos hoc loco adjungere, ex Rubricis Missalis & Commentariis GAVANTI *depromptos. Ubi primùm textus Rubricarum, mox deinde Commentarium, charactere distincto, ponitur.*

I.

Quænam circa egressum è Sacrario & Confessionem sint servanda.

In Missa solemni,

[Quæ aliter Principalis, Conventualis, Publica, & Canonica dicitur, quæq; in festis so-

 lemni-

lemnibus cantatur, nec in ea quicquam, quod ad solemnitatem indicandam spectat, omittitur]

Missale apertum super Altare,

[*Per Cerimoniarium aut Sacristam poni debet, antequam Celebrans incipiat Confessionem: si illud, ante hujus ad Altare accessum, collocatum non fuerit.*]

Calix verò & alia necessaria,

[*Vti Mißale separatum pro Epistola & Euãgelio cantandis. Velum longum pro Subdiacono, Peluicula cum Vrceolo & manutergio, Calix cum Purificatorio Hostia cum Patena, Palla Velo, Bursa cum Corporali: ex quibus Calix in medio statuendus est, cetera hinc inde*]

præparentur in Credentia.

[*Hoc est, mensula breui, demißa. simplici, sine gradibus, à latere Epistolæ posita*]

cooperta linteo,

[*Vsque ad terram vndequaq; pendente.*]

antequam Sacerdos veniat ad Altare. Ipse autem procedit cum Diacono & Subdiacono, qui, capite cooperto, simul cum eo tenent manus junctas ante pectus.

[*Ritum hunc egrediendi è Sacristia, (junctis s. manibus, & absque eo quòd Calix & Mißale deferantur) etiam in ijs Mißis, quæ diebus*

diebus profestis solent cum Ministris cantari, sed absque incensatione Altaris & Chori sine Credentia & osculo pacis, servandum esse vult Gavantus, improbans alium ritum. Priusquã autem Sacerdos è Sacristia prodierit, capite aperto, incensum in thuribulum debet imponere, ministrante Diacono naviculam & Thuriferario thuribulũ, illudq; benedicere his verbis.

Ab illo benedicaris in cujus honore cremaberis, Amen.

Quo dicto, producit signum Crucis, ut infinum. seq. Thuriferarius dein sumpto manu dextera thuribulo (ita ut in annulũ majorem pollicem immittat, annulũ verò catena mediæ sive operculi, annulari digito sustentet) sinistra autem, naviculà (sic ut pedem illius teneat, pars autem qua aperitur, à parte sit exteriori, & non pectus respiciat) procedit ante omnes, ut in sacris Processionibus. Diaconus & Subdiaconus. capite cooperto, unus post alium vadunt.

Acolythi verò ante eos deferunt candelabra, cum candelis accensis.

[Staturâ pares eosdem Acolythos convenit esse, ut æqualia sint in motu Candelabra: eademq; ita portari ab illis debere, ut qui à parte dex-

ſe dextra incedit, apponat dextram nodo candelabri medio, ſiniſtram pedi ejuſdem: & qui à ſiniſtra incedit, è conuerſo, ſiniſtram nodo, dextram pedi. Si adſit Cerimoniarius procedit ſolus poſt Acolythos.]

Quæ deinde collocantur in credentia,

[*In cornibus menſæ anterioribus & accenſæ vt prius. Bireta autem ſiue pilei, Celebrantis (qui ſuum dat Diacono) & miniſtrorum, deponuntur à Cerimoniario (ſi adſit) extra Credentiam, ſuper ſcamnum vbi ſunt ſeſſuri, vel in alio loco decenti.*]

Et cum peruenerit Sacerdos ante infimum gradum:

[*Genuflectit, ſi in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti; ſi non, caput profundè inclinat Cruci priuſquam incipiat Confeſſionem. Miniſtri verò omnes etiam Cruci quæ in Altari eſt genuflectunt, ad differentiam Celebrantis: Idem & in Miſſa faciunt. Quòd ſi SS. Sacramentum expoſitum fuerit, tunc & ipſe Celebrans & miniſtri, omnes debent vtrumq; genu, ante infimum gradum, flectere.*]

Ibi medius inter Diaconum à dextris, & Subdiaconum à ſiniſtris, antequam aſcendat ad Altare, facit cum illis Confeſſionem.

[*Diaconus & Subdiaconus à principio Confessionis vsque ad finem, tenent iunctas manus: ad* Confiteor *sese inclinant; ad* Mea culpa. *percutiunt pectora, & stant inclinati vsque ad finem* Misereatur *Signa quoque Crucis, vnà cum Celebrante, sibi adhibent. Quod etiam in Missa seruare debent, excepto Subdiacono dum Patenam tenet, Acolythi dum fit Confessio genuflectunt, propè Credentiam, & Thuriferarius cum illis, Cerimoniarius similiter genuflectit vbi vult, à latere cōmodiori ad functionem suam.*]

Si celebret coram aliquo ex Prælatis, vt Cardinali, Legato Sedis Apostolicæ, Archiepiscopo, Episcopo, in eorum Ecclesijs, vel loco jurisdictionis, stans à sinistris Prælati, & præmissa reuerentia, facit cum eo Confessionem. Et vbi dicit *Vobis fratres* dicat, *Tibi Pater*. Similiter in fine, vbi dicit *Vos fratres*, dicat, *Te Pater*, quod dicens profundè se Prælato inclinat. Eandem reuerentiam facit, ante, *Aufer à nobis*. Ministri verò & qui intersunt (etiamsi ibi fuerit Summus Pontifex) dum respondent *Confiteor*, dicunt *Tibi Pater*, & *Te Pater* aliquantùm conuersi ad Celebrantem.

Quo loco notanda est digitas Sacerdotis, cui etiam coram Papa, dicitur, tibi Pater, & te Pater.

Post-

Poſtquam Celebrans dixerit, *In nomine Patris, & Filij, &c.* non debet aduertere, quid in alio Altari agatur, etiamſi tũc eleuetur Sacramentum. Idem obſeruatur ſimul etiam à Miniſtris.

[*Intellige de Miniſtris paratis, non de inferioribus. Verùm expediret, Miſſas priuatas facere procul ab Altari, vbi Miſſa fit ſolemnis: vel omittere pulſum campanulæ ad eleuationem Sacramenti*]

I I.

Quæ circa thurificationem, Introitum, Kyrie, & Gloria in excelſis.

FActa Confeſſione, aſcendit Celebrans cum Miniſtris ad medium Altaris:

Dum aſcẽdit Diaconus manu ſiniſtra, Subdiaconus dextra, Albam & veſtem anteriorem Celebrantis paululùm eleuant.

vbi dicto, *Oramus te Domine*, & oſculato Altari.

[*Miniſtri interim ſuo quiſq; loco genufle-ctunt, & ſtatim ſurgunt*]

ponit incenſum in thuribulum,

[*Thuribulum ſignificat Chriſtum, igne Spiritus S. plenum & odore bono. Vbi ſimul notandum*

tandum: si aliquid misceatur cum incenso, seu thure, semper in majore quantitate debere esse thus, vt incensum dici queat.]

ministrante Diacono nauiculam,

[*Quæ porrigitur ipsi à Thuriferario sine osculis. Subdiaconus tunc stat à sinistris Celebrantis.*

& Thuriferario thuribulum.

[*Hoc est sustentante Thuriferario annulum majorem manu sinistra, & eleuato altero annulo operculi manu dextra, eademq; manu complectente catenulas circa mediū earum, inter operculum & thuribulum, flexoq; quasi genu dextro, offerente thuribulum, æqualiter eleuatum ad altitudinem nauiculæ, Celebranti.*]

Diaconus parùm inclinatus versus Celebrantem, dicit, *Benedicite Pater reuerende,* & osculatur cochlear & manum Celebrantis, antè & post.

[*Osculum res quæ porrigitur fit ad fidem, & dicitur, osculum fidei. Osculum verò manus, est ad venerationem.*]

Celebrans ter incensum ponit in thuribulum.

[*Manus dextra, sinistrâ pectori admotâ*]

dicens interim; *Ab illo benedicaris, &c.* vt sup. & deposito cochleari producens

manum

manu dextera ſignum Crucis ſuper thus in thuribulo, illud benedicit.
[*Non eſt neceſſe vt addat, In nomine Patris &c.*]
Poſtea Diaconus demiſſa nauiculâ,
In manu Thuriferarij, qui ſine oſculis demiſſo operculo, ſtatim tradit thuribulum Diacono]
accipit thuribulum & dat Celebranti, oſculata prius catenularum ſummitate, & manu illius dextera.
[*Catenulæ denotant vniones in Chriſto, quibus diuinitas & humanitas junguntur.*]
Qui, facta Cruci profunda reuerentia, eam ter incenſat, nihil dicens:
[*Imò in tota hac incenſatione, nihil â Celebrante dicitur. Incenſatio autem fit ad repræſentandam gloriam Dei qui in nebula apparebat; tum ad indicandum odorem bonum Chriſti; tum quòd Oratio ad Deum dirigenda ſit; tum ad reuerentiam loci, vt inde quicquid parùm grati odoris ex concurſu populi irrepſerit, pellatur; tum denique ad fugandos dæmones.*]
& facta iterum Cruci reuerentia, incenſat Altare, ter ducens thuribulum æquali diſtantia, prout diſtribuuntur candelabra.
[*Non enim ipſa candelabra incenſantur,*

ſed

sed posterior illa pars Altaris in qua sunt candelabra. Et quamuis hæc pauciora fuerint quàm sex vtrinque; nihilominus tamen triplici ductu vtraq; pars altaris incēsanda erit, prout dicetur etiam infra.]

à medio ejus vsque ad cornu Epistolæ: vbi demissa manu, thurificat illius postremam partem inferiorem, mox superiorem bis ducto thuribulo.

[*Id est, semel quoad inferiorem, semel item quoad superiorem partem. Librum autem de Altari, quādo incensandum est idem cornu Epistolæ, amouet Thuriferarius, (si abest Cerimoniarius) & mox reponit eundem. Idem facit ad cornu Euangelij, tempore incensationis Oblatorum, vt infra. Quòd si adsit Assistens pluuiali indutus, ejusdem erit amouere librum.*]

Et conuersus ad Altare, eleuās manum, incensat ejus planiciem seu mensam, in parte anteriori, ter ducens thuribulum vsque ad medium: vbi facta Cruci reuerentia, procedendo thurificat aliud latus Altaris, triplici ductu, vsque ad cornu Euangelij, & pariter incensatā inferiori & superiori parte ipsius cornu Euangelij, duplici ductu

[*Iuxta proximè dicta de cornu Epistolæ*]

Adhuc

Adhuc ſtans ibidem, eleuans thuribulum, ter incenſat ſuperiorem tabulæ partem, verſus medium Altaris, vt fecit in cornu Epiſtolæ: deinde manu aliquantulùm demiſſa, incenſat anteriorem ejus partem ſeu frontem, ter ducens thuribulum dum procedit à cornu Euangelij vſque ad medium Altaris: & factâ Cruci reuerẽtiâ, incenſat ſimiliter triplici ductu reliquam partem anteriorem, vſque ad cornu Epiſtolæ: vbi reddito thuribulo ipſi Diacono, ab eo ipſe ſolus incenſatur.

[*Diaconus accipiendo thuribulum à Celebrante, oſculatur primò manum ejus tum catenularum ſummitatem, eumq; incenſat cum inclinatione profunda capitis, antè & poſt. Celebrans autem caput non inclinat Subdiaconus interim ſiſtit ſe ad cornu Epiſtolæ, nec inclinat caput Celebranti, licet id Diaconus faciat*].

Si verò in Altari fuerint reliquiæ ſeu imagines Sanctorum.

Intellige de ſtatuis SS. non autem de imaginibus in pariete pictis.

Incenſata Cruce, & facta ei reuerentia, antequam diſcedat à medio Altaris, primùm incenſat.

Sine

[*Sine inclinatione capitis, ad differentiam Crucis*]

Bas, quæ à dextris sunt, id est, à parte Euangelij propè Crucem, bis ducens thuribulum; & iterum factâ Cruci reuerentia, similiter incensat bis alias, quæ sunt à sinistris, hoc est, à parte Epistolæ: deinde prosequitur incensationem Altaris, vt sup. ter ducens thuribulum in vnoquoque latere, etiamsi in eo essent plures Reliquiæ vel Imagines, seu etiam plura seu pauciora candelabra.

Si verò in Altari fuerit tabernaculũ SS. Sacramenti, accepto thuribulo antequam incipiat incensationem, genuflectit.

[*Ob præsentiam SS. Sacramenti quamuis lateat: & eo casu, non inclinat caput Cruci quam incensat.*]

Quod item facit, quotiescunque transit ante medium Altaris.

Contingit bis transire ante medium Altaris in incensatione, & de hoc textus loquitur, nõ de alio transitu in Missa.

[*Iam autem quando in Altari expositum est SS Sacramentum Crux tunc debet abesse, & loco Crucis, SS. Sacramentum, à Celebrante super altiorem Altaris gradum cum ministris genuflexo, incensatur: prius tamen profundam*

fundam inclinationem SS: Sacramento Celebrans facit, & poſt incenſationem ſimiliter. Diaconus interea non debet quicquam oſculari ex ijs quæ tradit Celebranti, nec item manum Celebrantis, in traditione ejuſmodi rerum, ob apertam præſentiam SS. Sacramenti. Præterea quando incenſandus eſt Celebrans, reddito Diacono thuribulo, juxta ſolitum, in cornu Epiſtolæ, deſcendit & ſiſtit ſe ad idem cornu, facie verſa ad populum, aduertens ne dum ſe mouet, terga vertat Sacramento, & ibi à Diacono è contra ſtante in plano, ſeu pauimento Altaris, incenſatur. Quod item obſeruandum erit in altera incenſatione, ad Offertorium, ac ibidem lauabit manus. Quorum vtrumq; Romæ ſeruatur.]

Diaconus & ſubdiaconus hinc inde aſſiſtunt Celebranti:

[*Eleuando Planeta eam partem, quæ eſt circa brachia Celebrantis, vt non impediantur; alterâ eorum manu pectori interim admotâ.]*

Et cum tranſeunt ante Crucem, ſemper genuflectunt.

Finita incenſatione redit ad Sacriſtiam Thuriferarius, qui propterea nō habet locum ſtabilem in Præsbyterio.

ORDO INCENSATIONIS ALTARIS

Deinde

DEinde Celebrãs, Diacono à dextris ejus, Subdiacono à dextris Diaconi stantibus, in cornu Epistolæ legit Introitum & Kyrie eleison.

[*Ministri dicunt cum Celebrante & respondent Kyrie eleison, Christe eleison, in eodem cornu Epistolæ.*]

Cùm verò intonat hymnum. *Gloria in excelsis Deo.* Diaconus & Subdiaconus vnus post alium stant à tergo Celebrantis:

[*Diaconus super secundum gradum, Subdiaconus in plano loci, formantes rectam lineam, tanquam famuli post Dominum:*

Postea ascendunt ad Altare.

[*Facta prius in medio, vbi stant, genuflexione; idq; ibi tantùm, & nõ iterùm ad Altare.*]

Et hinc inde, Diaconus à dextris & Subdiaconus à sinistris, cum Celebrante hymnum submissa voce prosequuntur vsque ad finem. Quod etiam seruatur, cum dicitur Credo.

[*Caput inclinant Ministri cum Celebrante, quando dicit* Adoramus te. Gratias agimus &c. *de quib. sup. & signant se in fine.*]

[*Si sedendum erit, parato scamno oblongo & decenter vestito, à latere Epistolæ, in plano Capellæ seu loci vbi celebratur, postquam Celebrans dixerit secretò hymnum Angelicũ,*

facta

facta ab eodem Cruci inclinatione, ſeu genuflexione (ſi in Altari fuerit tabernaculũ SS. Sacramenti) & a miniſtris ſemper genuflexione, deſcendunt vnus poſt alium per breuiorem viam à latere Epiſtolæ ad ſedem paratã, in quo ſedent cooperto capite, quod tamẽ aperiunt cum inclinatione, ad verba ſup. notata hymni, dum cantantur à Choro. In fine verò non ſe ſignant rurſus ſigno Crucis. Quæ omnia & in Symbolo ſunt obſeruanda.

Sedet Celebrans medius inter Diaconum à dextris, & Subdiaconum à ſiniſtris, Acolythi ſtant regulariter ad Credentiam.

Reuerſuri verò ad Altare, dimiſſis biretis, procedunt vnus poſt alium per planum ſeu pauimentum loci, & facta in medio reuerentia Altári vt ſup. aſcendunt quiſque ad locum ſuum, & vnus poſt alium conſiſtunt.

[Si verò ſedendum non ſit (quod maximè decet coram Sacramento in Altari expoſito) ſtabunt apud Altare quaſi pares ex communiore vſu Romano, à principio vſque ad finem dicti Hymni cantati à Choro, & inclinabunt ſe, vt ſup. dictum. Finito hymno, facta à miniſtris genuflexione ibidem, deſcendunt ad gradus ſuos, & vnus ſtat poſt alium.

III.

III.

Quæ circa Orationem seu Collectam.

CVm dicitur *Dominus vobiscum*, & *Oratio*, Diaconus & subdiaconus stant retrò post Celebrantem: similiter ad Præfationem & Pater noster.

Flectamus genua, dicitur à Diacono, à Subdiacono verò *Leuate*, illo primùm genuflectente, hoc primùm surgente. Celebrans verò non genuflectit.

Ministri caput inclinant in Oratione, eo modo quo Celebrans: & decens est, vt manus junctas ijdem teneant. In fine Orationis nō tenetur Diaconus dicere Amen. Satis enim est, quòd à Choro respondeatur Sacerdoti.

Celebrans ad Altare in quo est expositum SS. Sacramentum, antequam se ad populum vertat, & Dominus vobiscum. seu alia, dicat, post osculum Altaris, genuflectit, & sistit se dorso ad cornu Euāgelij, ac ibidem dicto, Dominus vobiscum, vel Pax vobiscum, (si sit Episcopus) facta iterum genuflexione in medio, redit ad librum seu Altare. Et generatim pro regula Celebrans teneat: Quoties accedit ad medium Altaris, vel recedit à medio, vel

transit

transit ante mediū, semper genuflectat. Quod & ministri obseruent.

IV.
Quæ circa Epistolam, Euangelium & alia, vsque ad Offertorium, seruanda.

SVbdiaconus circa finem vltimæ Orationis, accipit ambabus manibus librum epistolarum, deferens illum supra pectus, & facta Altari genuflexione in medio, vadit.

[*Comitante à sinistris vno Acolytho, vel potius Cerimoniario, si adsit, & vnà cum Subdiacono genuflectente*]

ad partem Epistolæ contra Altare, & cantat Epistolam, quam etiam Celebrans interim submissa voce legit, assistente sibi Diacono à dextris; & item Graduale, Tractum, &c. vsque ad, *Munda cor meum.* Epistola cantata, subdiaconus facta iterū genuflexione osculatur ejus manum,

[*Qui ritus osculandi manum, etiam in expositione SS. Sacramenti seruandus est, & à Diacono similiter ante Euangelium.*]

& ab eo benedicitur, præter quam in Missis Defunctorum.

Solemni-

[*Solemnitates his Missis non congruunt.*]

Postea idem Subdiaconus accipit Missale Celebrantis, defert ad cornu Euangelij in Altare, & ibi ministrat Celebranti, qui in medio Altaris submissa voce dicto, *Munda cor meum, &c.* & deinde lecto Euangelio, quod in fine non osculatur, delato etiam per Diaconum libro Euangeliorum ad Altare.

[*Intellige de libro separato, juxta sup. dicta. Defert autem Diaconus hunc librum sine vllo comite. Comes enim datur ministris ad decantandum aliquid, aut quando exeundum est è Presbyterio.*]

imponit incensum in thuribulum.

[*Eo prorsus modo, vt in principio Missæ.*]

Postea Diaconus genuflexus ante Altare, dicit, *Munda cor meum.*

[*Super primo Altaris gradu hoc dicit, in quo etiam, versus Celebrantem, stantem à latere Euangelij, non omnino conuersus ad eum, petit benedictionem.*]

Et accipiens librum Euangeliorum de Altari, petit benedictionem à Celebrante, similiter genuflexus in superiori gradu Altaris:

[*Diaconus petens benedictionem, dicit Iube* Domne, *non* Domine: *nam hoc Dei est, illud hominis præclari;*

Si Episcopus tunc celebret, ministri alij qui cum Diacono sunt, genuflexi manent.

& osculata illius manu,

[*s. dextra quo notatur, Diaconum gloriam Dei desiderare, juxta illud Cant 1. Dextera illius amplexabitur me.*]

Præcedentibus Thuriferario & duobus Acolythis, cum candelabris accensis de Credentia sumptis.

[*Thus & lumina quæ ad Euangelium adhibentur, notant, Prædicatorem præmittere debere bonam opinionem & lumen operum bonorum. Populus etiam vt cum fructu audiat verbum Christi, præmittere debet orationem, indicatam per thuribulum, & gaudium spirituale per cereos.*]

Vadit cum Subdiacono à sinistris.

[*Portans librum ante pectus: vt intelligat Prædicator verbi Dei, debere eum priùs illud habere ante oculos in corde, & in manibus, quàm in ore.*]

Ad locum Euangelij, contra Altare versûs populum.

[*Id est, contra Aquilonem, inter Altare & populum: ita enim vsus declarauit verba Rubricæ, quæ aliàs videntur secum pugnare.*

Vbi Subdiacono librum tenente, medio inter duos Acolythos, tenentes candelabra accen-

accensa, dicit, *Dominus vobiscum*, junctis manibus. Cum dicit. *Sequentia &c.* signat librum in principio Euangelij, frontem, os & pectus: postea ter librum incensat, hoc est in medio, à dextris, & à sinistris.
[*Dextram intellige libri, quæ est illius pars nobilior. Incensatio autem eo casu fit, ad venerationem Christi, in ejusdem verbis Euangelicis.*]

& prosequitur Euangelium junctis manibus. Interim Celebrans post datam Diacono benedictionem, retrahens se ad cornu Epistolæ, ibi stat junctis manibus. Et cum Diaconus dicit, *Sequentia S. Euangelij*, Sacerdos etiam signat se; & cum nominatur IESVS, caput inclinat versus Altare.

[*Dum cantatur Euangelium, Thuriferarius stabit post Diaconum ad sinistram ejusdem, & agitabit leniter thuribulum, eleuatâ aliquantulum operculi catenulâ, ne ignis extinguatur. Subdiaconus & Acolythi immobiles stabunt, neq; capita inclinabunt vnquam, multò minus genuflectent. Cerimoniarius post Diaconum stabit.*]

Finito Euangelio Sacerdos osculatur librum.

In signum amoris: & ad notandum, quòd

libens acceptet verbum Chriſti.

à Subdiacono ſibi delatum, dicens:

Per Euangelica dicta, &c.

[*Subdiaconus defert librum apertum ad Sacerdotem, ſine vlla reuerentia, tam Altari, etiam in quo eſt Sacramentum quàm Sacerdoti: idq; propter ſacri Euangelij venerationem. Clauſo deinde libro, reuerentiã vtriq; faciet, & deponet librum in Credentia, Acolythi finito Euangelio, deponunt candelabra ſine mora.*]

& à Diacono,

[*Stante in plano Capellæ (ſeu loci vbi celebratur) in medio*]

ter incenſatur.

In Sacerdote Chriſtus incenſatur in gratiarum actionem. Liber item & thuribulum reportantur ad Sacerdotem: quia Chriſtus, primus eſt & nouiſsimus, ad quem referenda ſunt omnia. Diaconus quoq; finito Euangelio redit vacuus: ad indicandum, quòd poſt prædicationem contemplationi vacandum ſit.]

Si ſit coram Prælato in ſua reſidentia, liber defertur ad Prælatum oſculandus, & ille incenſatur, vt in Cerimoniali.

ſ. triplici ductu Prælatus, Celebrans autem tunc, duplici tantùm ductu incenſatur.]

Poſtea ſtans in medio Altaris, verſus ad

Crucem,

Crucem, incipit, si dicendum sit, *Credo*, stantibus post eum Diacono & subdiacono; deinde ad Altare accedentibus, & cũ eo prosequentibus, Vt dictum est, ad, *Gloria in excelsis.*

[*Quando hac Verba Symboli*, Et incarnatus est, *decantantur à Choro, Celebrans genuflectit in superiori Altaris gradu; quòd si sedeat, non genuflectit, sed capite aperto, profundè se inclinat, cum Ministris. In die tamẽ Annuntiationis B. M. V. & in tribus Missis Natiuitatis Domini, genuflectit ad prædicta Verba, etiamsi sedeat: Vt ita nimirum, ijs diebus, majori cũ Veneratione adoretur mysterium, articuli & festi proprijssimum. Eadem ministri præstare debent.*]

Si autem sit prædicandum, Concionator finito Euangelio prædicet, & sermone, siue Concione expleta, dicitur *Credo*; vel, si non sit dicendum, cantatur Offertorium.

[*Hoc loco, s. post Euangelium, Concio faciendu est, ex Ordine Romano, Vt Concionator sit quasi interpres sancti Euangelij: sed antiquiores post Symbolum concionabantur ex Cõstit: Apostol: Quod etiã apud nos seruatur*]

Cum verò in Symbolo cantatum fuerit, *Et incarnatus est*, Diaconus accepta Bursa de Credentia, ambabus manibus eam de-

fert eleuatam cum solitis reuerentijs, ad mediū Altaris, in quo explicat Corporale. [*Non prius Diaconus abit acceptum Bursam de Credentia, explicatue pro initio Sacrificij Corporale, quàm memoratum fuerit Incarnationis mysterium; atq; adeo antequam à Choro finita fuerint dicta verba, usque ad,* Et homo factus est, *inclusiuè. Quia & Christus non nisi post Incarnationem, redemptioni per paßionem (quam Missa sacrificium repræsentat) operam dedit. Defert autem Diaconus Bursam cum debitis reuerentijs sine comite, & per viam quidem breuiorem ad Credentiam vadit, per longiorem autem ad Altare redit. Celebrans interim & Subdiaconus si ad Altare sint & non sedeant, paululum secedunt versus cornu Euangelij, vt Diacono venienti, quasi medium Altaris totum relinquant,*]

Si quandoque Celebrans cantat Missam sine Diacono & Subdiacono, Epistolam cantat in loco consueto Lector superpelliceo indutus, qui in fine nō osculatur manum Celebrantis: Euangelium autem cātat ipse Celebrans ad cornu Euangelij, qui & in fine Missæ cantat, *Ite Mißa est*: Vel, *Benedicamus Domino*: aut, *Requiescant in pace*, pro temporis diuersitate.

[*In hac eadem Missa, Celebrans dicit* Kyrie *in cornu Epistolæ, vt in alijs solemnibus. Item,* Humiliate capita vestra Deo, *sed versus Altare, vt dicitur in Rubrica propria, Feria IV. Ciner.*]

V.

Quæ circa Offertorium & alia vsq; ad Canonem.

Dicto *Oremus*, Diaconus & Subdiaconus, accedunt ad Altare in cornu Epistolæ.

[*Facta prius in locis suis genuflexione.*]

Diaconus amouet Calicē si est in altari, vel si est in Credentia (vt magis decet) accipit eum de manu Subdiaconi, qui eum cum Patena & Hostia, coopertum palla & velo à collo sibi pendente, manu sinistrâ tenens, & alteram manum superponēs velo, ne aliquid decidat, de Credentia detulit.

[*Paruum velum Calicis deponitur & relinquitur super Credentia, vt expeditiùs portetur Calix: qui per breuiorem viam defertur ad Altare: & Subdiaconi est ferre Calicem in sinistra, quæ est vita præsens. Debet autem nuda manu & non tecta velo, Calicem ferre.*

Comitatus ab Acolytho ampullas vini & aquæ portante: ipse Diaconus Calicem detegit & dat Patenam cum Hostia Celebranti, osculando ejus manum:

[*& priùs Patenam Si adsint particulæ consecrandæ pro communione solemni, delata Pyxide ad Altare, paulò ante Subdiaconum, à Cerimoniario seu Sacrista, eam Diaconus aperit, & super Corporale (antequam tradat Patenam Celebranti) collocat, & eandē eleuat parumper, dum Celebrans Hostiam offert: qua depositâ, & ipse deponit Pyxidem, cooperit, & collocat post Calicem.*]

Subdiaconus extergit Calicem Purificatorio; Diaconus acceptâ ampulla vini de manu Subdiaconi, imponit vinum in Calice.

[*Hoc est, Diaconus manu sinistra, Calicem ad nodum tenens, accipit ampullam Vini de manu Subdiaconi, qui eandem accipit de manu Acolythi (Vterq; verò accipit sine osculis ampullæ & manuum) & infundit Vinum in Calicem. Diaconi enim est, componere Calicem in Altari.*]

Subdiaconus interim ampullam aquæ ostendens Celebranti.

[*quam accipit ab Acolytho sine osculis*]

dicit, *Benedicite Pater reuerende*, qui, facto

facto versus eam signo Crucis, dicit orationem: *Deus qui humana, &c.* interim Subdiaconus infundit paulùm aquæ in Calicem, Diaconus illum Celebranti dat, & pedem Calicis tangens, seu brachium dextrum sustentans, cum eo dicit: *Offerimus tibi Domine, &c.*

[*Verbum Offerimus, conuenit duobus saltem, & ideo Diaconus idem dicit cum Celebrante.*]

Quem postea positum in Altari, palla cooperit Subdiacono deinde stāti in cornu Epistolæ, ponit in dextram manum Patenam.

[*Ponitur in dextra Patena, in spem vitæ æternæ, post hujus vitæ Calicem, in sinistra ab eodem ministro delatum. Dextera enim vitam æternam designat, & Patena rotundam æternitatem indicat.*]

Quam cooperit extremitate veli ab ejus humero pendentis:

[*Quia mysteria adhuc sunt tegenda: vel ad significandum quod discipuli Christi, propè ejus paßionem latitauerint.*]

Qui vadit post Celebrantem ante medium Altaris, & facta genuflexione, ibi stat, sustinens eam eleuatam,

[*parte interiore ejuſdem Patenæ ad ſe conuerſa : ea enim eſt nobilior*]

Vſque ad finem Orationis Dominicæ, vt dicetur. In Miſſis autem Defunctorum & in Feria VI. Paraſceues, Patena non tenetur à Subdiacono.

[*Ritus connotans lætitiam de æterna vita, in Patena velata, juxta proximè dicta, non conuenit Defunctorum Miſſæ.*]

Dicto, *Veni ſanctificator, &c.* Celebrans miniſtrante Diacono nauiculam & dicente, *Benedicite Pater reuerende*, ponit incẽſum in thuribulum dicens : Per interceſſionem beati Michaëlis Archangeli ſtantis à dextris Altaris incenſi, & omnium electorum ſuorum, incenſum iſtud dignetur Dominus benedicere, & in odorem ſuauitatis accipere. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen

[*Ter imponit incenſum, & ſemel illud benedicit in thuribulo, ita vt ad verbum* (benedicere) *manu dextera producat ſignum Crucis ſuper thuribulum fumigans. Diaconus & Thuriferarius miniſtrat, vt ad initiũ Miſſæ*]

Deinde accepto thuribulo per manum Diaconi, nullam faciens Cruci reuerentiam, incenſat Oblata, ter ducens thuribulum ſuper Calicem & Hoſtiam ſimul, in modum

modum Crucis, & ter circum Calicem & Hostiam: scilicet bis à dextra ad sinistram, & semel à sinistra ad dextram, (Diacono interim pedem Calicis tenente manu dextra) dispensans verba in qualibet incensatione, hoc modo. In prima incensatione, *Incensum istud*, In secunda, *à te benedictum*, in tertia, *ascendat ad te Domine*, in quarta, *& descendat super nos*, in quinta & sexta, *misericordia tua.*

[*In triplici ductu thuribuli, designari dicitur triplex Vnctio Mariæ. In modum Crucis & Coronæ fit incensatio, vt ex paßione Christi, ad Coronam Trinitatis fiat transitus. Crux autem in hoc casu fit, non veluti per quatuor puncta, sed super Calicem & Hostiam. In sequentibus circulis, thuribulum nonnihil demittendum est, vt circumeat Calicem, Dextra & sinistra, hoc loco, intelligenda est Celebrantis. Sexies autem incensantur Oblata: quia ante sex dies Paschæ iuit Iesus in Bethaniam Bis circum Calicem & semel conuerso circulo: quia rediit in Hierusalem ad ramos palmarum, & de Hierusalem rediit in Bethaniam.*]

Deinde facta reuerentia, incensat Crucem & Altare, vt dictum est suprà, assistente, eodem Diacono, interim dicens: Di-

rigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Pone Domine custodiam ori meo: & ostium circumstantiæ labijs meis, vt nō declinet cor meū in verba malitiæ, ad excusandas, excusationes in peccatis. Et cum incensatur Crux, Diaconus amouet Calicem ad partē Epistolæ, & incensata Cruce reponit in loco suo.

[*Si expositū est SS. Sacramentū, hoc idem loco Crucis, flexis, in supremo Altaris gradu, genibus incensari debet, prout etiam sup. dict. est: Calix verò, non extra Corporale, si id factum fuerit, à Diacono locabitur. Subdiaconus in tota hac incensatione non se mouet. Thuriferarius depositâ nauiculâ super Credentia, amouet de Altari librum, ac eundem quando opus est reponit: nisi adsit Aßistens.*]

Cum reddit thuribulum Diacono, dicit: Accendat in nobis Dominus ignē sui amoris & flammam æternæ charitatis Amen. Et incensatur ab eo.

[*Idq; triplici ductu: nisi adsit Major seu Prælatus; tunc enim hic triplici, Celebrans autem duplici ductu incensandus erit: prout suprà etiam indicatum est.*]

Deinde Diaconus incensat Chorum,

[*Comite Thuriferario qui præcedit; & incensantur omnes; quia Christus communicat alijs odorem suum. Item thurificatio repræsentat diffusionem gratiarum spiritualium in capite, & ab eo ad membra. In Choro autem incessandi stare debent, quasi extra stallum, neq; illi indecorè inniti, & mutuò se inuitare, ante quàm quilibet incensetur à Diacono.*]

Et postremò subdiaconum, tenentem Patenam. Diaconus incensatur à Thuriferario, & Thuriferarius postea incensat Acolythos, & populum.

[*Incensatur populus ter, primò in medio, deinde versus latus Epistolæ quod est dextrum populi (vbi mares diuisi à fæminis olim stare solebant; & nunc etiam alibi solent stare;) tertio versus latus aliud, cum honoris significatione, ante & post incensationem. Hanc autem faciet in medio Presbyterij, vel ferè à latere Euangelij, si expositum est in Altari SS. Sacramentum, ne eidem terga vertat.*]

Celebrans postquam incensatus fuerit, lauat manus, ministrantibus Acolythis ampullam aquæ cum peluicula & manutergio.

[*Cum reuerentijs debitis, & cum quasi osculis ampullæ & manutergij, non tamen genuflexi,*

flexi, sed stantes id Acolythi facient. Quando verò expositum est SS. Sacramentum, Celebrans ad incensationem descendet infra gradus Altaris, ac ibidem manus lauabit, vt suprà etiam dictum est. Ad Orate fratres, *Subdiaconus respondeat,* Suscipiat Dominus, &c. *Celebrans tardius dicet secretas orationes, vt Diaconus opportunò tempore redire queat, ad dicendum cum ipso* Sanctus. *Cerimoniarius interim aßistet libro, & folia ejus vertet, in absentia Diaconi: nisi adsit Aßistens.*]

Cum dicitur Præfatio, Diaconus & subdiaconus, stant retrô post Celebrantem, & paulò ante, quàm dicatur *Sanctus*, accedunt ad Altare, vbi cum Celebrante, hinc inde dicunt, *Sanctus*, & quæ sequuntur vsque ad Canonem.

[*priusquam accedunt ad Altare, in locis suis post Celebrantē genuflectunt. Idem rursus faciunt, dicto ab eijsdem vltimo Osanna. Si tamen Subdiaconus teneat Patenam, non accedit cum Diacono ad Altare.*]

Deinde Diaconus accedit ad sinistram Celebrãtis ei assistēs, dum dicitur Canon: [*Non tenet tunc Diaconus junctas manus, sed folia Mißalis vertit, & indicat quæ dicenda sunt à Celebrante.*]

nisi alius Sacerdos assistat; quia tunc ipse staret ad dexteram, aliquantùm post Celebrantem, Subdiaconus verò tunc stat post Celebrantem.

V I.

Quæ circa Canonem vsq; ad Consecrationem.

AD finem Præfationis accenduntur duo saltem intorticia ab Acolythis, quæ extinguuntur post eleuationem Calicis:

[*Ne portantes intorticia genuflexi maneant, ceteris stantibus; ideo asportantur funalia & extinguuntur.*]

nisi aliqui sint communicandi, & tunc extinguuntur post Communionem.

[*Communio etenim cum accensis luminibus fieri debet, præsertim si discedatur ab Altari. Quando autem eleuatur Hostia, eleuantur etiam intorticia, vsq; ad depositionem Calicis inclusiuè.*]

In diebus etiam Iejuniorum & in Missis pro Defunctis, tenentur accensa vsque ad Communionem.

[*Cessat tunc ratio standi, & quia genuflexi manent omnes in Choro, vsq; ad Pax Domini: parum quod superest vsq; ad Communionem Celebrantis, pro nihilo reputatur.*

Excipe

[*Excipe Vigilias Natiuitatis, Paschatis & Pentecostes, quando nimirum in Choro non genuflectitur, & consequenter neq; remanent intorticia deposito Calice.*]

Cum autē Celebrans dicit: *Quam oblationem, &c.* Diaconus accedit ad ejus dexteram.

[*facta prius genuflexione, in loco suo, Altari.*]

& ibi in superiori gradu Altaris genuflexus, cum Sacramentū eleuatur, fimbrias Planetæ eleuat, &, quādo opus est, se erigens, Calicem disco operit & cooperit, & cum Celebrante genuflectit.

[*Si adest Pyxis cum particulis consecrandis, Diaconus eam detegit & collocat propè Hostiam ante consecrationem, & depositâ Hostiâ post eleuationem, facta cum Celebrante genuflexione. Pyxidem operit, collocat in pristino loco; & antequam discooperiat Calicem consecrandum, cum Celebrante prius adorat eum genuflexione Hostiam, ab eo depositam super Altare.*]

Subdiaconus genūflectit in loco suo.

[*Id est, supra infimum Altaris gradum, in medio post Celebrantem.*]

Thuriferarius genuflexus in cornu Epistolæ ter incensat Hostiam cum eleuatur, & similiter Calicem, posito incenso in

thuribulum, absque benedictione.
[*Ter incensat, id est, cùm Celebrans adorat, eleuat, & deponit.*]
Reposito Calice, Diaconus redit ad librum.
[*Facta iterùm genuflexione in cornu Euangelij tantùm, vbi est liber, & assistit vt priùs*] nisi alius assistat. Ceteri surgunt & stant in locis suis.
[*Thuriferarius redit ad Sacristiam.*]
Benedictus qui venit, &c. *non cantatur à Choro, nisi post depositionem Calicis, etiam in Missis Defunctorum. Quod obseruatur in Capella Papæ.*]

VII.

Quæ post Consecrationem vsque ad Orationem Dominicam.

CVm Celebrãs dicit, *Per quem hæc omnia, &c.* Diaconus facta sacramento genuflexione, accedit ad dextram Celebrantis, & quando opus, discooperit Calicem, & cum Celebrante adorat: similiter cooperit, & iterùm genuflectit.
[*Dum fiunt Cruces, Diaconus retineat duobus digitis dextræ manus, pedem Calicis: & habet hic ritus mysterium, de quo infra in expositione mystica Missæ.*]

Cum

Cum incipit, *Pater noſter*, &c. idem vadit retrò poſt Celebrantem, facta priùs sacramento genuflexione, vbi ſtat, dum dicitur Oratio Dominica.

VIII.

Quæ circa Orationẽ Dominicã & alia vſq; ad factã Cõmunionem.

Diaconus ſtans retrò poſt Celebrantem, cùm in Oratione Dominica dicitur: *Et dimitte nobis debita noſtra:* facta ibidẽ genuflexione, vadit ad dexteram Celebrantis, & Subdiaconus circa finem Orationis Dominicæ, facta item genuflexione, reuertitur ad Altare, & ſtans in cornu Epiſtolæ, porrigit Patenam Diacono qui eam diſcooperit, & Purificatorio abſtergens dat Celebranti, illius manũ oſculando: & quando opus eſt, diſcooperit & cooperit Calicem & cum Celebrante adorat.

[*Diaconi miniſteriũ eſt circa Calicem: ſufficiunt autem reuerentia cum genuflexione in Rubrica præſcripta. Regula verò eſt: quòd Diaconus (non alij) cum Celebrante genuflectente genuflectit, ſi ſolus eidem aßiſtit.*]

Subdiaconus reddita Patena & depoſito velo quòd ab humeris ejus pendebat, genuflectit, & deſcendit retrò poſt Celebrantem.

tem. Et cum dicitur, *Pax Domini*, iterum genuflectens, accedit ad sinistram Celebrantis, & simul dicunt, *Agnus Dei.*

[*Percutiuns Ministri pectus cum Celebrante, sinistrâ eidem pectori admotâ.*]

Deinde facta ibidem Sacramento genuflexione, redit post Celebrantem. Diaconus verò, à dextris genuflexus, expectat pacem; & cum Celebrans osculatur Altare, ipse se erigens, simul osculatur illud extra Corporale, & à Celebrante dicente *Pax tecum*, complexus, accipit pacem, sinistris genis sibi inuicem appropinquantibus, & ei respondet, *Et cum spiritu tuo.*

[*Amplexus in Missa, notat, quòd vnũ multi fieri debeamus. Per genas autem sinistras significatur, dari pacem è corde, quod ad sinistram vergit: & quòd in aduersis etiam pax habeatur.*]

Postea iterũ Sacramento in Altari adorato, vertit se ad Subdiaconum retrò post Celebrantẽ & similiter dat ei pacem. Subdiaconus accepta pace à Diacono, & facta Altari genuflexione, comitatus ab Acolytho, vadit ad Chorum, & dat pacem primò cujusque Ordinis, dignioribus priùs, deinde minùs dignis: & reuersus ad Altare, facta genuflexione dat pacẽ Acolytho,

lytho, qui ipsum comitauerat, qui & aliis Acolythis circa Altare dat pacem:

[*Qui dat pacem non inclinat caput ei cui illam dat, nisi postquam dederit: qui autem accipit, inclinat caput danti, & antè, & postea quàm acceperit. Item, qui dat, dicit,* Pax tecum, *qui recipit, respondet,* Et cum Spiritu tuo: *amplectunturq; se inuicem, & appropinquant sibi genas sinistras, ut dictum de Celebrante & Diacono. In unoquoq; deinde Ordine, primus dat pacem alteri subsequenti, & ille alteri, & sic deinceps usq; ad ultimum ejusdem Ordinis, Laicis autem pax datur, Instrumento (Pacificale uulgò dicto) quod priùs ille, qui pacem à Celebrante accepit, osculatur. Patenâ autem pacem dare, loco instrumenti memorati, uetuit Pius V.*]

Deinde Subdiaconus vadit ad dexteram Celebrantis,&,quando opus est,discooperit Calicem, accipit ampullam vini & infundit quando Celebrans vult purificare.

[*Ampullam etiam cum aqua idem accipit, & Celebranti infundit, ut de ablutione digitorum in Missa priuata docetur: neq; omittere debet Subdiaconus osculationes & reuerentias debitas, in ministrandis ampullis Celebranti.*]

Diaconus post datam pacem Subdiacono,

no, vadit ad librum, & dum Celebrans se communicat, stant. ipse & Subdiaconus, profundè inclinati versus Altare.

[*Ad ista Verba, Domine non sum dignus, &c. Diaconus & Subdiaconus stant inclinati, manibus ante pectus iunctis. Acolythorum alter portabit sine genuflexione ampullas ad Altare, cum peluicula, quas porriget sine osculis Diacono & referet ad Credentiam: alter portabit Velum paruum de Credentia ad Altare in cornu Euangelij, vt Subdiaconus eo deinde tegat Calicem. Post Communionem Celebrans non lauat manus, nisi sit Episcopus.*

Si adsint ministri cum intorticijs, peractâ communione populi, discedunt, & ea extinguunt.]

Si fiat cõmunio in Missa solemni, omnia seruanda sunt, quæ circa communionem in Missa priuata traduntur: sed priùs cõmunicet Diaconum & Subdiaconum, deinde alios per ordinem; & Diaconus purificationem eis ministret. Interim à Choro cantatur Antiphona, quæ dicitur Communio.

[*Diaconus operiens Calicem Pallâ, eumq; ponens paulò vltra medium Corporalis, intra aram tamen, versus cornu Euangelij, collocat in medio Corporalis Pyxidem. Quòd si ea extrahen-*

trahenda sit de Tabernaculo, idem ipse extrahat cum genuflexionibus, antequā extrahat, & postquam extraxerit, Celebrante interim genuflexo & alijs circa Altare. Diaconus in cornu Epistolæ stans, profundè tamen inclinatus, dicit alta voce & manibus junctis, Confiteor &c. *Celebrans, postquam Diaconus Pyxidem discooperuit, stat in medio Altaris, facie versa ad Diaconū; Subdiaconus item stabit post Celebrantem, qui dicto* Cõfiteor, &c. *eodem loco stans dicit,* Misereatur, *&* Indulgentiam, *propè medium Altaris, facie item versa ad Diaconum, qui respondet,* Amen. *Acolythi interea ante medium Altaris in superiore gradu, extendunt linteum mundum genuflexi, facie sibi inuicem versâ: Diacono verò & Subdiacono ante linteum genuflexis, Celebrans cum debitis genuflexionibus, eos communicat, præmissis verbis:* Ecce Agnus Dei, &c. *&* Domine non sum dignus, *cum alijs cerimonijs de quib. sup.*

Qui gestant intorticia, substituant sibi alios donec communicent, neq; accedant cum intorticijs ad Celebrantē pro cõmunione. Dum alios Celebrans communicat, Subdiaconus stat à sinistris Celebrantis, Diaconus in cornu Epistolæ purificationem cum Calice ministrat, ijs scilicet qui de Clero sunt, non laicis, quibus purifica-

purificationem dabit alter è Clero, cum alio vase, aut vini aut aqua. Diaconus autem eo casu ad dextram Celebrantis accedit. Neq; Ministri Patenam teneant sub mento communicantium, quod ad Episcopalem attinet majestatem.

Sacerdotes cum Stola de collo pendente cōmunicant ante Altare, unà cum Levitis & Clero: laici verò extra Chorum, à quo semper excluduntur, ut ostendatur honos Cleri à laicis distinctus, & ut Clerus divinis liberiùs inseruiat.

Facta Communione, cum debitis reverentijs Diaconus operit pyxidem, & reponit in locum suum, genuflexo interim Celebrante, & post eum Subdiacono: quibus deinde surgentibus, & reposito Calice in medio Altaris detectoq; fiunt alia pro purificatione Celebrantis, quæ suprà sunt dicta.

Quòd si remaneat Sacramentum in Altari, Ministri obseruent & præsertim Diaconus dicturus, Ite Missa est, ne terga vertat Sacramento.

I X.

Quæ post Communionem, & circa Orationes dicendas, seruanda.

Diaco-

Diaconus defert librum Missalis ad cornu Epistolæ,

[*Cum genuflexione, quando transit ante medium Altaris, & clausum portat quem deinde aperit, vbi legenda est Communio.*]

deinde vadit retrò post Celebrantē; Subdiaconus verò vadit ad cornu Euangelij,

[*Cum debita genuflexione in medio Altaris, aduertens, vt cedat superiorem gradum Diacono transeunti:*]

vbi Calicem mundat, aptat cum Purificatorio, Patena & Palla cooperit, plicat Corporale, reponit in Bursam, & illam ponit super Calicem coopertū Velo, quem collocat in Altari, vel super Credentia vt prius.

[*Hoc posterius magis est decens. Neq; traditur Calix Cerimoniario, neq; hic eo casu comitatur Subdiaconum.*

postea redit ad locum suum,

[*per viam breuiorem redit, vt adsit ad Orationem*]

retrò post Diaconum, qui cum dicit, *Ite Missa est*, cum Celebrante vertit se ad populum.

[*Antequam se vertat Diaconus, genuflectit versus Altare, & postquam dixerit,* Ite, &c. *redeat eodem modo quo Celebrans, & simul cum ipso.*]

Et

Et in Quadragesima dicto per Celebrantem *Oremus*, Diaconus in cornu Epistolæ vertens se ad populum,

[*sine prauia genuflexione*]

junctis manibus dicit, *Humiliate, &c.* quo dicto, vertit se versus Altare à tergo Celebrantis, & Celebrans dicit Orationem super populum.

[*Celebrans dictis Orationibus non claudit librum, sicut à principio non aperuit; & qui apertum inuenit, apertum relinquit. Fiunt ergo hæc per Ministros ad majorem solemnitatem Celebrantis dignitatem. Neq; Celebrans debet submissa voce dicere:* Ite Missa est.]

X.

Quæ circa Benedictionem in fine Missæ, & Euangelium S. Ioan:

CElebrans, eadem voce & modo, quo in Missis priuatis, semel tantùm benedicit populo: nisi sit Episcopus.

[*Ad benedictionē Celebrātis, Ministri æqualiter distantes supra secundum gradum, Diaconus à dextris Subdiaconi, genuflectunt versus Altare, si ita fert loci consuetudo, & manu pingunt sibi Crucem à fronte ad pectus, vt solent laici. Ceteri quoq; inferiores ministri genuflexi manent, vsque ad finem benedictionis.*]

& dicto Euangelio secundùm Ioannem, vel alio, ministrante subdiacono librum, si opus est,

[*Subdiaconus defert librum eo modo, quo dictum est supra ad Epistolam, Diaconus autem stat quasi medium inter Celebrantem & Subdiaconum, aliquantò post Celebrantem, ne impediatur à lectione. Ad:* Et Verbum Caro factum est, *vel quid simile, genuflectunt prædicti tres versus librum.*

discedit cum ministris, ordine & modo quo venerat.

[*Acolythis præeuntibus cum cādelabris, procedunt cooperto capite Ministri, post debitam reuerentiam Altari, vel Sacramēto factam, vt in principio Missæ, vnus post alium manibus iunctis. In sacristia verò, reuerentiâ factâ imagini ab omnibus, & Celebranti à Ministris, deponunt omnes paramenta, idq; ordine retrogrado, quo se induerant: & quæ à principio osculati sunt, nunc eadem exuendo se osculentur in medio, Stolam scilicet, Manipulum & Amictum. Celebrans quoq; vt post Missam priuatā, lauet manus: non quòd quicquam immundum ex ipso contactu Sacramenti contraxerit, sed vt potius suā commemoret indignitatem, qui se iudicat tantis*

Sacra-

Sacramentis celebrandis indignum, iuxta illud Luc. 17. Cùm hæc omnia feceritis, dicite: serui inutiles sumus.

V I.

Quæ circa Missam pro Defunctis.

IN Missa pro Defunctis non incẽsatur Altare ad Introitum.

[*Quia in Veteri lege prohibitum fuit oleum & thus pro peccato offerri; mors autem pœna est peccati. Parciùs igitur in hac Missa thus adhibetur, dum semel tantùm incensatur Altare post oblata, & solus Celebrans.*

Credentia quoq; tunc, vel nulla, vel simplex, cum linteo breui & candelis accensis super eam, statuenda.]

& Subdiaconus finita Epistolâ, nõ osculatur manum Celebrantis, nec benedicitur: Diaconus non petit benedictionem, nec osculatur Celebrantis manum: non tenentur luminaria ad Euangelium, nec portatur incensum, sed duo tantùm Acolythi sine cãdelabris stant, vnus à dextris, & alter à sinistris Subdiaconi, tenentis librum Euangeliorum. Non incensatur liber, nec in fine Celebrans: nec defertur liber Euangeliorum osculandus.

[*Omnia hæc quæ recensita sunt, ad solemnitatem & lætitiam indicandam spectant: à Missis autem Defunctorum ideò excluduntur: tum quia ad imitationem Officiorum, quæ aguntur in morte Domini, fieri debent: tum quia de proximi transitu dolentibus, cantica & signa lætitiæ non conueniunt.*]

Oblata & Altare incensantur, vt supra; incensatur solus Celebrans & non incensantur alij.

[*Incensantur Oblata vt præparentur ad consecrationem, & cum ijs Altare: quod etiam obseruatur in Parasceue. Subdiaconus ministrat à sinistris Celebranti, in Oblatorum incensatione: & in ablutione manuum ministrat cum Diacono mappam ad tergendas Celebrantis manus.*]

Subdiaconus non tenet Patenam post Celebrantem, sed tempore eleuationis Sacramenti, genuflexus in cornu Epistolæ, illud incensat.

[*Cum non teneat Subdiaconus Patenam, quæ solemnitatis indicium est; debet incensare Sacramentum in ejusdem eleuatione, vt à digniore Ministro non impedito id fiat, & statim surgit, stans in medio, vt aliàs.*]

Ministri cùm aliquid porrigunt Celebranti in hac Missa, non osculantur ejus manum,

manum, nec rem quæ porrigitur.

[*Oscula quæ suauitatis cujusdam sunt notæ, omitti debent in Missis Defunctorum: quia in his omnis lætitia & suauitatis significatio excluditur, juxta sup. dicta.*]

Si distribuendæ sunt Candelæ, distribuantur post Epistolam,

[*Faces in exequijs Defunctorum, ex vsu antiquissimo Ecclesia adhibentur, ad significandū animas viuere, & Defunctos, filios esse lucis. Ex cera communi deberent esse, quæ luctum indicare videtur,*]

& accendantur ad Euangelium, ad eleuationem Sacramenti, & post Missam dum fit Absolutio.

[*Conuenienter faces siue cerei ad Euangelium ardent, quo geniti sunt Defuncti; item ad eleuationem Sacramenti, quo enutriti fuerunt; & ad Absolutionem, quâ in cælos euehi eosdem desideramus. Qui autem ferunt intorticia ad eleuationem, non discedant nisi peracta Communione: quia non est eo casu standum ab aliquo, vt suprà dictum. Eodem modo candelæ à Clero accensæ ardeant vsque ad Communionem, ob venerationem Sacramenti: sicut & in festo Purificationis B. M. V.*]

Si habendus est sermo, habeatur finita Missa ante Absolutionem.

[*Orationes olim habebantur funebres, sed extra Missam: quia non sunt Homiliæ Euangelij, post ipsum habendæ. Apud nos, & plurimùm, intra Missam ejusmodi sermones fiunt ex consuetudine: conuenientius tamen fuerit, Rubricarum præscriptum hac in re, ob rationem proximè indicatam, sequi.*]

Hactenus de specialibus Missæ solemnis ritibus, & primo additamento.

II.

PIA AC BREVIS CHRISTIANI SACERDOTIS PRÆPARATIO,

ad Missam ritè & fructuosè celebrandam.

è Romano exemplari.

Sacerdos qui ad sacrum Altaris ministerium securè (quantum humana fert fragilitas) accedere, Dominiq; nostri IESV CHRISTI Corpus & Sanguinem consecrare desiderat, tota mentis deuotione studere debet, vt aliqua obseruet ante Missam, quadam in Missa, quadam verò post Missam. Quæ omnia in sequentibus breuiter indicantur.

Ante Missam

Curabit hæc septem.

1. INtentionis discußionem: id est, ne celebret,

Ex vana gloria; scilicet vt videatur deuotus & laudetur ab hominibus.

Ex auaritia; scilicet propter lucrum temporale; nam hæc magna est iniquitas.

Ex consuetudine; id est, sine mentis discussione.
Ex timore; id est, ne reprehendatur, aut puniatur à Superiore, si non celebret.
Ex verecundia denique; id est, ne videatur indeuotus & alijs dissimilis, nisi celebret. Sed habeat puram & religiosam intentionem, ad Dei omnipotentis gloriam & honorem, Ecclesiæque vtilitatem, Missam celebrandi.

2. *Generalem contritionem*:

Super omissis, quæ facere potuit & debuit.
Commissis, quæ facere non debuit.
Consuetis, & sæpè confessis.

3. *Puram & veram Confeßionem.*

Notabilium, communium, & ignoratorum.
Criminum, cordis, oris & operis.

4. *Diligentem præparationem*:

vt scilicet habeat,
Decentem vestium omnium Sacerdotalium exhibitionem; vt nimirum sint benedictæ, mundæ, honestæ, ac decenter aptatæ.
Opportunam loci electionem; scilicet Ecclesiæ, vel Oratorij aut loci honesti, *ex dispensatione*,
Diligentem Altaris adornationem; scilicet

net cum lapide consecrato & integro, & duab9 ad minus lineis mappis mũdis.
Præcipuam Calicis & Corporalis mundificationem: nam hoc Sacramentum purissimum est, in quo est Filius Dei Patris & intemeratæ Virginis.
Congruam materiæ præparationẽ; id est, panem triticeum, vinum vitis bonum, aquam naturalem & mundam.
Sedulam Missalis inspectionem.
Continuam cerei illuminationem.
Deuotã Clerici vel alterius ministrationẽ.
Debitam horarum considerationem; scilicet ab aurora ad meridiem & nõ antè vel vltra: nisi in die Natalis Domini, vel speciali indulto.
Integram jejunij naturalis obseruationem; vt scilicet nihil per modum cibi aut potus, medicinæúe sumptum fuerit.
Corporalem mundiciam; quæ maculatur per pollutionem, si ei causam dederit.
5. Deuotam animæ dispositionem:
Cum plenitudine fidei; scilicet firmiter credendo, in hoc admirabili Sacramento esse corpus Christi per transsubstantiationem; animam Christi per naturalem colligationem; diuinitatẽ Christi per inseparabilem vnionem.
 Cum

Cum firmitate spei; scilicet diuinæ pietatis, quòd ex perceptione cælestiũ munerum, habebit cælestes thesauros.
Cum ardore charitatis: nam ad Sacramentum amoris, non nisi cum ardore charitatis accedere debet.
Cum pace vnitatis Ecclesiæ; scilicet ne sit excommunicatus, schismaticus vel hæreticus, sed Catholicæ Ecclesiæ realiter vnitus.
Cum memoria Passionis Christi: ipse enim Christus, Venerabile hoc Sacramẽtum, in memoriam suæ Passionis, instituit.
Cum indignitate sui; scilicet, vt, quantum potest, ad tantum Sacramentum suscipiendum se indignum existimet.
Cum puritate conscientiæ; ne fortè in eo sit aliquid, quod oculum diuinæ Majestatis offendat.
Cum feruenti desiderio; scilicet auidè & desideranter ad tam suauissimum conuiuium accedat.
Cum actuali deuotione; per deuotas lacrymas, quasi suiipsius sacrificium offerendo Domino Deo, Beatæ Virgini, SS. Angelis, & Sancto vel Sanctæ, cujus eo die celebratur festum.
Per feruentes orationes ante Missam deuotè dicendas.

6. *Præuiam intentionem:*

vt s. in Missa intendat; Deum per lacrymas humiliter placare & colere:

Corpus & Sanguinem Christi cum omni diligentia & reuerentia consecrare:

Mortem Christi, & ejus immensam charitatem memorare; & totam Ecclesiam reuerenter adjuuare & cōcorditer adunare.

7. *Amorosam affectionem,*

s. vt consequi ex celebratione Missæ desideret:

Augmentum suauissimæ deuotionis:

Incrementum ardentissimæ, Dei & proximi, dilectionis:

Inseparabilitatē feruentissimæ Catholicæ vnionis, &

Accelerationē felicissimæ diuinæ vnionis.

In processu Missæ,

Extra Canonem curabit duo,

1. D*Iscretionem in legendo.*

Ne nimis clamosè legat; vt scilicet alios non perturbet.

Ne nimis depressè; vt à circumstantibus audiatur.

Ne nimis festinè; vt ab omnibus intelligatur.
Sed distinctè, canorè & deuotè.
2. *Maturitatem in exequendo*,
f. Ne sit curiosus in circumspiciendo.
Ne leuis in se mouendo.
Ne inurbanus in inclinando.
Ne tædiosus in prolongando.
Ne nimis festinus in terminando, sed deuotus, exẽplaris & circumspectus.

In Canone autem quatuor.

1. *COmmendationem viuorum & defunctorum.*

Viuorum, i. e. Suiipsius, vt eum Deus faciat idoneũ ministrum tanti Sacramẽti, & anima & corpore in omnibus dirigat, & ad æternam salutem perducat.
Parentum, carnalium & spiritualium, vt eis necessaria in hoc mundo tribuat, & ad vitam æternam eos conducat.
Benefactorum & orationibus commissorum, juxta eorum pia desideria, ad salutem animæ & corporis.
Inimicorum, vt eos Deus illuminet & peccata dimittat, ac se ab eorum insidijs liberet.
Infidelium, vt ad rectam fidem eos Deus conuertat.

Pacis Ecclesiæ, & Dominij seu loci in quo est; & Petitionum, quas proponit Deo exponere.

Defunctorum, Parentum & propinquorum, Fratrum & sororum fidelium.

Animarum, nobis commissarum, pro quibus eleemosysas recepimus, vel sumus recepturi.

Animarum omnium benefactorum.

Animarum omnium in purgatorio existentium.

2. *Præcipuam diligentiam ad conficiendum.*

Quia ibi sunt magna signis, majora verbis, (vnde ipsa deuotè & distinctè dicet;) maxima intentione: ideo attentionem consecrandi pro viribus applicabit.

3. *Reuerentiam item præcipuam, ad tangendum*, propter continentiam excellentis corporis Christi, excellentioris animæ, & excellentissimæ diuinitatis ejusdem.

4. *Deuotionem quoque non vulgarem*, ad sumendum tantum Sacramentum, ipsum cum discretione & modestia reuerenter sumendo. Non masticando, sed leuiùs lingua mouendo.

Interiori affectu, panem Angelorum suauiter gustando.

Post

Post Missam

Curabit duo.

1. H*Vmillimam gratiarum actionem.* propter majestatem Hospitis excellentissimi, suæ animæ hospitium ingressi.
Speciales orationes attentè dicendo:
Excellentiam tanti Sacramenti deuotè meditando:
Deo, pro suscepto munere semper gratias agendo.
2. *Bonorum operum executionem*, ex desiderio gratiæ, quæ in hoc Sacramento suscipitur.
Ne subitò post Communionem, corporalem cibũ sumat, vt dicit Clemens Papa.
Ne citò post Communionem, in loco indecenti spuat.
Ne secularibus nugis & negotijs se implicet.
Ne otiosus aliquo modò inueniatur.
Ne sine aliqua deuota lectione diu permaneat.

III.
FRVCTVS SACRIFICII MISSÆ.

Ex D. Bonauent: lib. de præpar: ad Miss: cap. 8.

Per Missæ Sacrificium,

I. Conſcientia ex præteritis delictis purgatur.

II. Cor ad tentationes futuras (velut per medicinam præſeruatiuã) vincendas, & ad bona opera, roboratur.

III. In tribulatione gratia patientiæ & liberationis obtinetur.

IV. Beneficia, tam ſpiritualia quàm corporalia, efficaciùs impetrantur: quia SS. Euchariſtiæ Sacramẽtum eſt fons omnium gratiarum & donorum.

V. Gratiarum actio Deo, pro beneficijs quotidianis, redditur.

VI. Proximis, viuis & defunctis, multiplex auxiliũ à Deo impetratur.

VII Celebrans ipſe, Chriſto incorporatur & vnitur.

VIII Deo, Angelis, Sanctis in cœlo exiſtentibus, jucundiſſimum opus & gaudium præſtatur.

Hi ergò tam eximij fructus, sint quaeso tibi, ô bone Sacerdos, instar ignitorum carbonum, quibus cor tuum & pius affectus, ad frequentationem hujus praestantissimi Sacrificij magis ac magis accendatur.

DAMNA, OMISSIONEM SACRIFICII MISSÆ, (cessante legitimo impedimento) consequentia.

Ex eodem S. Doct. & lib: cap. 5.

SAcerdos absque peccato mortali, & in proposito bono, non habens legitimum impedimentum, & non ex reuerentia, sed negligentia, celebrare Missam omittens.

Priuat,
- I. SS. Trinitatem gloria.
- II. Augelos lætitia.
- III. Peccatores venia.
- IV. Iustos subsidio.
- V. In purgatorio existētes refrigerio.
- VI. Ecclesiā totā spirituali beneficio.
- VII. Seipsum medicina & consolatione, ac remedio contra quotidianas infirmitates & peccata.

Ad

Ad vitanda igitur ejusmodi damna, quisquis ex hominibus assumptus (vt verbis Apostoli vtar, Hebr. 5.) pro hominibus constitueris in ijs quæ sunt ad Deum, vt offeras dona & sacrificia pro peccatis; & non ignarus propria, quâ circumdatus es infirmitatis, sedulus in id incumbes, vt quemadmodum pro populo, ita etiam & pro temetipso offeras pro peccatis. Alioquin, præter bonorum spiritualium jacturam, timendum tibi erit, ne in vacuum gratiam Dei (vt idem Apostolus præcauet, 2. Cor. 6.) recepisse arguaris.

IV. EXPOSITIO MYstica & moralis vestium Sacerdotalium.

Ex doctrina D. Thomæ & aliorum.

Vestes, quibus Sacerdos vtitur ad Missam, sunt sex. Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola & Casula. Significant autē mysticè aliquid Passionis Christi, moraliter aliquam virtutem.

Amictus.

AMICTVS, Mysticè significat spineam Christi Domini coronam, *juxta D. Thom: in Supplem: q. 40. art. 7.* Secũdùm alios, velamen illud, quod faciei Christi oppositum fuit. *Matth. 26. Mar. 14.*

Moraliter fortitudinẽ ad diuina officia, quibus Sacerdotes mancipantur, exequenda, *vt D. Thom. docet.* Iuxta alios, armaturam spiritualem, de qua Apostolus ad Eph. 6. *Galeam salutis assumite.* Et hoc cõcordat cum Oratione propria. Descendit etiam Amictus super humeros, quib9 onus Domini ferre docemur: vittis quoque seu funiculis in modum crucis pectus stringitur, quo nullas alias cogitationes quàm eas quæ Dei sunt admittere, pollicemur. *Sot. in 4. d. 13. q. 2. art. 4.*

ALBA, Mysticè notat vestem illam albam, qua ab Herode Christus in ludibrium indutus fuit. *Luc. 23.*

Moraliter puritatem vitæ, vel loricam justitiæ, quâ loco cit. Apostolus indui nos jubet. Iustitia enim vniuersam virtutem comprehendit, quæ in cunctis operibus nostris lucere debet: vnde & totum corpus eadem Alba tegit.

CINGVLVM, Mysticè innuit vinculũ illud, quo Christus in horto ligatus erat.

Morali-

Moraliter, repressionem carnis seu castitatem. Quod respondet Orationi propriæ. *Iuxta Sotum* fidem, quæ justitiam nostram succingere debet. Nulla enim apud Deum justitia est, nisi quæ fide nititur & stringitur.

MANIPVLVS, Mysticè notat vinculũ, quo Christus fuit columnæ alligatus.

Moraliter, extersionem minimarum macularum: quia manipulus est quasi sudarium ad extergendum vultum. Et in hunc vsum olim adhibebatur, *vt Alcuinus & alij tradunt*, Vel tolerantiam flagellorum seu aduersorum hujus vitæ, pro amore Christi, qui ex amore itidem, nostri causa, vincula & flagella sustinuit. Ad quod insinuandum, Manipulus in brachio sinistro, cordi vicino, ponitur.

STOLA, Mysticè vinculum tertiũ repræsentat, quo Christus Crucem bajulans fuit collo ligatus.

Moraliter, obedientiam & jugum Domini, cui collum, quasi loro ligati, submittimus, ad portandam crucem Domini, ejus vestigia secuti. Aptatur supra pectus in modum Crucis, vt hoc signo à dextris & à sinistris, prosperis scilicet & aduersis, muniamur.

CASVLA, Mysticè signat vestē Christi purpuream; vel tunicam inconsutilē, qua exutus, crucifixus fuit.

Moraliter, charitatem, quæ Christum ad crucem perduxit, & in nobis multitudinem peccatorum (vt ait Apostolus 1. Petr. 4.) operit. Siue, quia Sacerdos Sacramentum charitatis, scilicet Eucharistiam conficit, *vt D. Thom. loc. sup. cit. tradit.*

Punctum hujus doctrinæ, sua parænesi concludat Innocentius III. Pontifex, de Myster. Miss. cap. 64.

Attendat (inquit) *Sacerdos studiosè, vt signum sine significato non ferat, vt vestem sine virtute non portet: ne fortè similis sit sepulcro deforis dealbato, intus autem pleno omni spurcitia. Quisquis autem sacris indumentis ornatur, & honestis moribus non induitur, quantò venerabilior apparet hominibus, tantò indignior redditur apud Deum.* Ita ille.

MYSTI-

V.
MYSTICA EXPOSITIO Missæ, secundùm ordinem totius vitæ Christi quam repræsentat.
Ex Gauanto & DD. quos idem citat.

P*Regreßus Sacerdotis è sacrario ad Altare, in Mißa, tam priuata, quàm solemni*, denotat Verbum diuinum passioni destinatum, è sinu Patris egrediens.

Thuriferarius cum thuribulo fumigante, naturam humanam, orantem Deum pro redemptione mundi.

Duo Acolythi, legem & Prophetas. *Subdiaconus & Diaconus*, sanctos Patres, vicinos Natiuitati Christi, qui parant viã Domino.

Inclinatio Sacerdotis ante Altare ad Confeßionem faciendam, exinanitionem Verbi diuini, quod formam serui accepit, in similitudinem carnis peccati insinuat;

Introitus cum Versu geminatus, laus Sanctißimæ Trinitatis, & osculum primum Altaris, notant iterata SS. Patrum antiquorum desider-

deſideria & voces, ex quibus erant: *Veni Domine & noli tardare. Oſculetur me oſculo oris ſui. &c. Cum incenſatur Altare*, Oratio Chriſti pro nobis in vtero materno innuitur. Thuribulum enim Chriſtum denotat juxta S. Auguſt. hom. 6 in Apoc. *Kyrie eleiſon*, id eſt Domine miſerere, ingeminatur conformiter illi: *Domine miſerere noſtri, te enim expectanimus. Iſa.* 33. Quod ipſum etiam indicio eſt, Chriſti aduentũ, non tantùm cordibus & affectibus piorum deſideratum, ſed etiam continuis precibus & orationibus à Deo efflagitatum fuiſſe.

Gloria in excelſis, Cantũ Angelicũ Chriſto nato indicat. *Signum autem Crucis*, in fine ejuſdẽ Hymni, Circumciſionẽ Chriſti.

Dominus vobiſcum, hoc loco apparitionem factam Magis innuit.

Oratio ſeu Collecta, præſentationẽ Chriſti in templo, & ejus orationem quam fecit ab infantia, vſque ad prædicationem Ioannis.

Epiſtola, præ dicationem à Ioanne Baptiſta factam. Et in Miſſa quidem ſolemni, ſubdiaconum vnus Acolythus comitatur ad cantandam Epiſtolam; quia Ioannem pauci ſunt ſecuti. Legitur Epiſtola modò de antiquo, modò de nouo teſtamẽto; quia

Ioannes ad vtrumq; spectat. Finita Epistola osculatur manum Celebrantis Subdiaconus; quia Ioannes ad Christum discipulos tandem destinauit: & sicut Christus laudauit Ioannem, ita Sacerdos benedicit Subdiacono. Clauso libro accedit Subdiaconus; quia in lege quam prædicabat Ioannes, claudebatur adhuc Christus, quem respicit dum contra Altare cantat Epistolam.

Graduale, Pœnitentiæ lamentum indicat & conuersi ad pœnitentiam, à Ioanne prædicatam, gemunt. Dicitur à gradibus Graduale, quo significatur ascensio discipulorum Christi, vocatorum per gradus post Ioannis prædicationem.

Alleluia, vox consolationis, post luctum pœnitentiæ: gaudebant autem discipuli in noua conuersatione Christi.

Tractus, ejusdem rationis est cum Graduali, & sequentia seu jubilatio, est idem cum Alleluia.

Euangelium, in alia parte Altaris, significat à Iudæis ad Gentes Christi doctrinam transisse, & ijs communicatam esse. Liber de Altari à Diacono sumitur; quia de Sion exiuit lex, & verbum Christi de Ierusalem. Quoniam verò misit Christus Apostolos, etiam

etiam tunc temporis prædicare regnum Dei; ideo benedictio, missio, & osculum manus præcedunt. *Thuriferarius*, bonum odorem virtutum Christi euangelizantis; & *Acolythi* cum cereis accensis, fulgentissimum lumen doctrinæ Christi, designant: siue quia binos mittebat, quò ipse erat venturus. *Subdiaconus* notat ministrum vel auditorem, qui bene doctus, tandem refert librum Euangelij ad Celebrantem, vti ad Christum, cujus est colligere fructus prædicationis suæ. Cui & in gratiarum actionem thus adoletur à Diacono.

Symbolum continet professionem fidei, & doctrinæ sequelam, quæ in discipulis Christi, præsertim ad ejusdem prædicationem, effulsit. Nam multi crediderunt in eum, & gentiles per Andream & Philippum ducti sunt ad Christũ, appropinquante jam ipsius passione. *Ioan. 12.*

Offertorium, significat votum fidei, à gentilibus oblatum Christo, inter prædicationem & passionem: quod admiratus est in Centurione & Chananæa. *Matt. 8. & 15.* Quo cantato, fit silentium, per quod significatur, Christum paulò ante passionem suam palàm non ambulasse, sed latuisse. *Ioan. 11.* Velum amouetur à Calice,

vt Calix videatur à populo; quia nunc manifestè in Missa passio Christi repræsentatur. Vnde & finita ejusdem repræsentatione (*qua accidit circa Communionem*) rursus velo Calix tegitur, ne videatur vt priùs, sed vndequaq; occultetur. Ministri præparantes Oblata, & crucis signa quæ circa eadem fiunt, denotant, quia concilium fecerunt Iudæi vt Christum morti traderent. Patena partim absconditur sub Corporali, seu Velatur in manu Subdiaconi, ad insinuandum, quòd tunc patentia corda discipulorũ in fide titubarent. Incẽsatio Oblatorum exprimit effusionem vnguenti, ante sex dies Paschæ, cujus odore repleta est domus; & ideo incensantur omnes.

Præfatio indicat triumphum Christi die Palmarum, in quo tum Angeli, tum pueri Hebræorum cantabant, *Osanna, Benedictus qui venit &c.*

Canon; Dominicæ potissimùm passionis est commemoratio. Et primò quidem secretò dicitur, ad significandum, Deum verè esse absconditum in hoc mysterio: tum quòd postremis diebus, Christus cum solis discipulis conuersatus sit & à Iudæis sese subtraxerit. Tres cruces quæ primò fiunt super Oblata, denotant tres traditio-

nes

nes Christi, à Deo Patre, à Iuda, & à Iudæis, qui eum Pilato tradiderunt. In alijs quinq; crucibus, post, *Hanc igitur oblationem &c.* venditio Christi exprimitur: in primis tribus, venditionis pretium, quod ter decem, denarijs constat; in alijs duabus, venditor & venditus innuuntur.

Consecratio, repræsentat cænam Dominicam, vbi benedictiones Hostiæ & Calicis; significant & repræsentant non crucifixionem, sed præsignationem Passionis Christi, factam in ipsa cæna: siue quòd pro duobus populis erat passurus.

Eleuatio Hostiæ & Calicis, anticipatam crucis & Christi in ea crucifixi eleuationē significat, non actionem crucifixionis, de qua infra; sed memoriam passionis Christi & mortis ejusdem, in hoc Sacramento, statim esse faciendā, secundùm illud: *Hæc quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis*: hoc est, *mortem Domini annunciabitis*, vt D. Paulus declarat. Quam eleuationem in hoc anticipato sensu, comitantur ferè statim quinq; cruces, ad ea verba: *Hostiam puram &c.* ad memoranda quinq; vulnera Christi in cruce accepta.

Sacerdotis deinde inclinatio, ad illa verba: *Supplices te rogamus &c.* denotat Christum peracta

peracta cæna & consecratione, processisse ad hortum ad orandum Patrem. Vbi adfuit confortans Angelus, & Sacerdos addit: *Iube hæc perferri per manus S. Angeli.* Osculum quod sequitur Altaris, opponitur osculo Iudæ in horto. Tres Cruces adduntur, vel ad notandas tres illusiones Christi, à Pontificibus, Herode & Pilato factas; vel Vincula, flagella & coronam spineam.

Ad verba: *Nobis quoq; peccatoribus, pectus percutitur*, quo, *juxta Gauantum*, per antiphrasin designatur, vt nobis fiat ad salutem, quod impij Hebræi in suam perniciem exclamauêre: *Sanguis ejus super nos &c. Matth. 27.*

In sequentibus tribus crucibus, *Sanctificas &c.* recolitur crucifixio Christi, qui horâ tertiâ, linguis Iudæorum cruci est affixus, dum dicerent, *crucifige, crucifige eum. Mar. 15.* In alijs autem tribus, ad ea verba: *Per ipsum, cum ipso, & in ipso.* Crucifixio horâ sextâ innuitur manibus Gentium. Et in duabus sequentibus, *Est tibi Deo Patri &c.* diuisio animæ à corpore Christi. Fiunt autem hæ duæ cruces extra Calicem; quia hæc separatio facta est, non ex violentia passionis, sed ex potestate propriæ voluntatis Christi. Item in tribus di-

ctis crucibus, *Per ipsum &c. juxta D. Thom.* memoratur trina Christi oratio in cruce, quarum prima fuit, *Pater ignosce illis.* Altera, *Deus Deus meus &c.* Tertia, *Pater in manus tuas &c.* Pleriq; easdem tres cruces ad horas, quibus Christus in cruce viuus & mortuus pependit, referunt.

Calicis cum Hostia eleuatio, & statim depositio, in ijs verbis: *Omnis honor & gloria,* denotat depositionem Christi de cruce & ejusdem sepulturam.

Palla, qua Calix operitur hocloco, non vt hactenus ad cautelam, sed ad mysterium refertur, & lapidem ad ostium monumenti aduolutum, designat. Vel corpus Christi inuolutum sindone à Ioseph. Celebrans enim & Diaconus hic tangunt Calicem simul, innuentes ministerium duorum; Nicodemi quidem Celebrans, Iosephi verò Diaconus: quia Ioseph inuoluit sindone corpus, & Diaconus tangens Calicem, eundē pallâ cooperit. Recedit Diaconus â facie Celebrantis, vti à monumento recesserunt Nicodemus & Ioseph.

Dicitur alta voce, *Per omnia secula &c.* quia clamauit Centurio Et vt colligamus vltima Christi verba, statim additur Oratio Dominica, quæ constat septem petitio-

nibus,

nibus, in memoriam septem verborũ Christi in cruce. Subdiaconus & Diaconus ministrantes patenã apertam, notant mulieres, quæ cordibus patentibus, valdè manè ad monumentum perrexerunt.

Additur sub silentio, *Libera nos &c.* ad significandum, SS. Patres liberatos à limbo, ad quem secretò descẽdit anima Christi. Quo loco etiam tres nominãtur Apostoli, ob triduum mortis indicandum, & sub silẽtio dicitur: quia *S*abbato siluerũt. *Luc.* 23.

Osculum Patenæ significat, quòd Christus ferè statim impleturus erat pium desiderium mulierum. Vnde statim amouetur Palla à Calice, sicuti lapis ab Angelo ab ostio monumenti, consequenter Dominus inuisibiliter resurrexit.

Fractio Hostiæ notat, quòd in fractione panis cognitus fuit Christus resuscitatus. Et in tribus Hostiæ partibus, *juxta D. Thom.* indicatur distinctio corporis Christi mystici. Vel distributio gratiarum ejus post resurrectionem.

Immissio particulæ in Calicem cum commistione, significat mysterium Resurrectionis Dominicæ, in qua corpus & sanguis & anima vnita sunt.

Tres cruces cum particula supra Calicem, aduentum trium mulierum ad ostium monumenti, quærentium Christum, indicant. Item cruces fiunt ad quatuor partes Calicis; quia ad quatuor mundi plagas pertingit Resurrectio Christi.

Pax Domini, dicitur clara & eleuata voce. Quia Pax vobis dictum est Discipulis à Christo, & bonum significat nuntiū Resurrectionis.

Agnus Dei, operto Calice cum palla, dicitur ter, ad tollenda peccata; quo significatur, Christum post resurrectionem ingressum januis clausis & dixisse illis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c. Ioan. 20.*

Cōmunio Cleri & populi, significat quòd Christus comedens cum Apostolis, sumens reliquias dedit eis. Dicitur *Versus Communio*, qui est symbolum lætitiæ: quia gauisi sunt discipuli viso Domino *Ioan. Loc. cit.*

Oratio post Communionem (quæ vocatur etiam benedictio) extensis manibus dicitur, ad indicandam illam benedictionem, quam Christus ascendens in cœlū, ad orandum pro nobis Patrem, discipulis suis dedit.

Vltimum Dominus vobiscum, innuit illud

Christi:

Christi: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi *Matth. Vlt.*

Ite Missa est cum *Deo gratias*, in mentem reuocat quæ die Ascensionis dixerunt Angeli: Viri Galilæi quid statis &c. Et ipsi regressi sunt in Ierusalem &c. laudantes & benedicentes Deum, *Act. 1. Lucæ Vlt.*

Oratio Placeat &c. dicitur secretò cum Inclinatione Sacerdotis: quo notatur, Apostolos orasse secretò vsq; ad Pẽtecosten: in osculo autẽ Altaris designatur eosdem orasse etiam vnanimiter. *Act. loc. cit.*

Vltima benedictio, missionem Spiritus S. die Pentecostes, in nomine SS. Trinitatis, exprimit.

Per Vltimum S. Ioannis Euangelium, innuitur prædicatio Apostolorum tum diuinitatis, tum incarnationis Christi, quâ Gentes magis quàm Hebræi (vnde & in cornu Euangelij legitur) ad Deum, post Pentecosten deuenerunt. Hinc illud D. Pauli Act. 13. *Ecce conuertimur ad Gentes.*

Regressus in Sacristiam, est necessitatis, non mysterij. Quanquam dici potest, post prædicationẽ & opera bona, tandem in cœlum, vnde exiuit Dominus IESVS & quò redijt, nos etiam peruenturos. Quod nobis idem concedat Amen.

Coronidis loco supradictis addes:

Missam cum his quatuor literis, A. B. C. D. celebrandam esse: id est, Attentè, Breuiter, Clarè, Deuotè.

Attentè. *Hoc est, (vt explicat Marchantius) attentionem adhibendo, ad verba, ad sensum, ad* IESVM *Christum. Et hunc quidem respiciendo, tum ante consecrationem, vti supremum Dominum & Deum, cui ministrandum est, & cui Sacrificium istud, tanquam obsequium seruitutis nostræ offerendum est: tum in consecratione, tanquam summum Sacerdotem per nos consecrantem, cujus personam gerimus, cujus verbis vtimur: tum post consecrationem, tanquam Agnum immolatum, tanquam Hostiam viuam, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, cum qua nos, quantò intimiùs valemus, offerre debemus, in animo contrito & spiritu humilitatis, tum deniq; in Communione illum inspiciendo vt Pastorem animarum, pascentem illas propria substantia sua, carne, sanguine, diuinitate.*

Breuiter, *id est, non morosè, non nimiùm indulgendo propria deuotioni, cum tædio adstantium, sed secundùm communiorem piorum morem: non tamen præcipitanter se gerendo, aut festinè: Pleriq; in proposito volunt,*

non ultra dimidiam horam, Missam lectam protendi debere.

Clarè, *id est, pronunciando verba distinctè, non corruptè, non languidè, non nimis altè aut submißè sed ita vt quæ alta voce dicenda sunt, non clamorosè enuncientur, possint tamen audiri à circumstantibus; quæ verò submißè dicenda præcipiuntur, audiri possint à seipso.*

Deuotè, *Interiùs s. & exteriùs. Interiùs, per erectionem mentis & affectum voluntatis, elicientis actus adorationis, oblationis, amoris, humiliationis, contritionis. Exteriùs autem ad ædificationem circumstantium, per modestam & piam, sed sinceram & non affectatam, corporis compositionem.*

His insuper addit Gauantus quintã (in honorem quinq; vulnerum Christi) literam E, id est,

Exactè, *vt nimirum, ea omnia quæ in Rubricis sunt præscripta, & de quibus etiam in superioribus actum est, seruentur.*

DECRETA SACRÆ RITVVM CONGREGATIONIS,

Quæ ad Missam attinent.

POtest celebrari Missa pro Defunctis ritu de Requiem, in Dominicis, & Festis insepulto, & in Ecclesia præsente corpore: Sic decreuit Sacra Rit Cõgregatio die 23. Maij 1603. *Vbi nimirum viget consuetudo sepeliendi defunctos simul cum Missa. Si quis autem moriatur in die Pasche, corpus ejus reseruetur in sequentem diem, ob reuerentiam Paschæ: ex Rituali Romano Pauli V.*

2. Si terminatur Processio Litaniarum Majorum ad Ecclesiam S. Marci, cantatur ibi Missa de S. Marco; eadem Sacr: Congregatio die 23 Maij 1603.

3. Cineres, qui imponuntur capitibus fideliũ, debent esse aridi; non in modum luti sunt distribuendi 23. Maij 1603.

4. In Canone nomine Antistitis nõ sunt nominandi Superiores Regularium: die 12. Nouemb. 1605 *Nec inferiores Episcopo.*

5. Missa de Annuntiatione B. Virginis non est celebranda à fer. 5. majoris Hebdomadæ

domadæ vsq; ad fer. 3. Paschæ inclusiuè: die 9. Maij 1606.

6. Gloria in excelsis cum Credo omittitur in votiuis pro re graui, quando dicuntur cum paramentis viol. die 19. Maij 1607. *Res autem grauis ea est, pro qua conuenit totus Clerus cum Episcopo, & eadem Sac. Rit. Congregatio decreuit eadem die.*

7. Cereus Paschalis regulariter accendi debet, ad Missas, & Vesperas solemnes in triduo Paschatis, in Sabbato in Albis, & Domin. vsque ad Ascens. in alijs seruanda est consuetudo locorum: die 19. Maij 1607.

8. Tolerari possunt Missæ de Requiem in festo duplici, quod non est de præcepto, pro voluntate Testatorum implenda: die 3. Septemb. 1607. *Non ait ad arbitrium viuorum, quod benè nota, sed pro implenda lege Defunctorum.*

9. In Altari priuati Oratorij, cui conceditur ex priuilegio Apostolico celebratio Missæ (exceptis solemnioribus festis) non potest in eo celebrari in Natali Domini, Epiphania, Paschate, Pentecoste, Annuntiatione, Assumptione B. V. Festo SS. Apostolorum Petri, & Pauli, & Omnium sanctorum: die 17. Nouemb. 1607.

10. Cõmunio Cleri facienda est in Cœ-

na Domini : die 27. Septembris 1608.

11. Missæ defunctorum certo die dicendæ, eo impedito transferuntur in sequentem: die 27. Septembris 1608.

12. Sabbato Sancto non sunt pulsandæ campanæ ante Cathedralis, seu Matricis signum : die 21. Martij 1609. Neque in Diœcesi ante Parochialis signum : 9. Februarij. 1608.

13. Abbates, & alij superiores Regularium non possunt benedicere paramenta Ecclesiarum non sibi subditarum : die 24. Augusti 1609. Neque Protonotarij : die 17. Iulij 1627. Neque valet consuetudo Abbatum, abrogata die 18. Augusti 1629.

14. Tenentur Canonici ad cantandam Missam de die, vt lucrentur distributiones: die 25. Iunij. 1611. & 28. Ianuarij 1612.

15. Neque ob Missam votiuam, seu pro Defunctis potest omitti Missa conuentualis de die: 16. Ianuari. 1627. abrogauit Congregatio omnem contrariam consuetudinem : 12. Iulij 1628.

16. Diaconus non debet dare pacem laicis, neque Domino loci : die 5. Iulij 1614.

17. Regulares debent Crucem ferre in processionibus cum velo, seu Panno : 14. Ianuarij 1617.

18. Non

18. Non deferatur Tabernaculum Sanctiss. Eucharistiæ Sacerdotum humeris, sed manibus tantum celebrantis non obstante quauis contraria consuetudine, quam, abusum esse declerauit Sacr. Rit. Congreg. 2. Iunij 1618.

19. In Oratione, A cunctis, nomina Patronorum S. Michaëlis, vel S. Ioannis Baptistæ proponi debēt Apostolis: die 22. Augusti 1620.

20. In Parasceue si incidat Festum Annunciationis B. Virginis, non tenentur fideles ad Missam audiendam: die 19. Februarij 1622.

Nec in eadem die distribuenda est Eucharistia alijs, quam infirmis: eadem Sac. Congregat: eadem die.

21. Missa Rosarij prohibita fuit, concessa tantum Ordini Dominicanorum 25. Iunij 1622.

Vbi vero adest Capella, seu Altare Rosarij; In festo Sacratissimi Rosarij, ex Decreto Gregor: XIII. in prima Domin: Octobris in Calendas vel post Calendas ejusdem Octobris, celebrando; Officium, & Missa celebrari possunt vt in festo, S. Mariæ ad Niues, quod obseruatur in Æde Laureiana, vel vt in Natiuitate B. V. mutato nomine in Festiuitatis,

quod

quod fit Bononiæ ; sed illud prius magis placet cum lect : 2. noct. de Natiuitate.

22. Missæ certis Regularibus concessæ, non possunt ab alijs dici, etiam in ipsorum Regulariũ Ecclesijs : 19. Nouembris 1622.

23. Vsus annuli in Missa prohibetur Protonotarijs non participantibus, & quibuscunque alijs Doctoribus : die 11. Februarij 1623. Item & Canonicis Cathedralium fuit prohibitus: die 20. Nouembris 1628.

24. Vicario Generali celebrante, licet sit Protonotarius, nõ debent accendi quatuor candelæ, neque duo Capellani ministrare : 7. Aug. 1612.

25. Neque debent poni paramenta in altari, nisi pro Episcopis : 7. Iulij 1612.

26. Qui habet onus celebrandi Missam de Rosario (exceptis Dominicanis) possunt aliã dicere de B. Virgine : die 6. Maij 1623.

27. In Festo Stigmatum S. Francisci, color albus adhibetur : die 9. Decembris 1623.

28. Vsus pileoli in Missa etiam extra Canonem, concedi debet à Papa, & non ab alio. *Congregatio Cardinalium super negotia Episcoporum 2. Ianuarij 1590. & 17. Ianuarij 1595. concessit, extra Canonem, vsum pileoli,*

pileoli, Episcopo Fauentino; & respondit Archiepiscopo Vrbinati, eo non posse vti sine licentia Sedis Apostolicæ. Idem postea sensit Sac. Rituum Congreg. die 31. Ianuarij 1626. & Canon ipse prohibet Episcopo velatum caput, ergo neque secum, neque cum alijs dispensare potest.

29. Celebrans, qui distribuit Cineres, Candelas, & Palmas, detecto capite distribuat: die 18. Iulij 1626.

30. In Missa feriæ 4. Temporum occurentis in die Octaua Natiuitatis B. V. Præfatio ferialis dicitur: die 12. Decembris 1626.

31. Signum, quod fit cum patena à frõte ad pectus, fit integrè cum signo Crucis: die 13. Martij 1627.

32. In Altari certis diebus priuilegiato, non potest in ijs dici Missa de Requiem in festo duplici de præcepto: 24. April, 1627.

33. Communicantes, infra Octauam Ascensionis, contingit separari à propria Præfatione 28. Aug. 1627.

Casus autem talis esse potest, si occurrat Festum SS. Philippi, & Iacobi Apost: infra Octauam Ascensionis; nam Præfatio erit de Apostolis, Communicantes de Ascensione, licet in Missa nulla fiat Commemoratio: idq; accidere po-

re potest etiam in Inuentione Sanctæ Crucis, & in Missis Solemnibus Votiuis, quæ dicuntur infra eandem Octauam, & habent Præfationem propriam.

34. In Festis primæ Classis, non dicitur Oratio, Deus refugium, jussa dici à Majoribus per annum: die 28. Aug. 1627. *Accidit n. à Superiore decerni pro publica causa, quotidie dicendam orationem; Deus refugium, seu aliam, & tunc dicitur, vel loco tertiæ ad libitum; vel additur vti cõmemoratio.*

35. In fine Missæ ad quodcunque Altare celebratæ, fit reuerentia Cruci, infra gradus, capite semper aperto: die 28. August. 1627. *Rubrica n generalis, in Missali recognito, p. 2. tit. 12. n. 6. sic est corrigenda: Quibus omnibus absolutis, extinguuntur per Ministrum candelæ; interim Sacerdos accipit sinistra Calicem, dexteram ponens super bursam, ne aliquid cadat, descendit ante infimum gradum Altaris, & ibi in medio vertens se ad illud, caput inclinat, vel, si in eo est Tabernaculum Sanctiss: Sacramenti, genuflectit, & facta reuerentia, accipit biretum à Ministro, caput cooperit, &c. Hæc Rub. habetur in recognito Missali, licet fuerit tantum edita in vltimo Missali Vaticano Anno 1609. quam ideo retinendam esse omnino decreuit*

Sac. Rit. Congreg. die, & Anno, vt supra.

36. In diebus, quibus prohibetur fieri de festo duplici, non possunt dici Missæ votiuæ, neque de Requiem: die 28. Aug. 1627. *nimirum infra Oct. Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, in Hebdomada Majori, fer. 4. Cin. & in Vigilijs Natiu. D. & Pentecostes.*

37. In Parasceue non immittitur particula in Calicem cum signis Crucis cõsuetis: die 28. Aug. 1637.

38. Sæpius decretum est, Episcopos carere facultate delegandi alijs benedictionem paramentorum, & earum rerum, in quibus vnctio non adhibetur.

39. Si ob terræ frigiditatem populus veniat ad Ecclesiam tardè pro solemni Missa, decreuit Sac. Rituum Congregatio, præstare, quod recitetur tardius Hora Tertia, quàm quod cantetur Missa de festo post Sextam. *De hoc Decreto testatur Ioan. Alcocer. in suo Ceremoniali.*

40. Eodem Alcocer teste, eadem Sacra Congregat. concessit insignioribus Regularium Ecclesijs vsum planetarum plicatarum.

41. Eodem teste, eadem decreuit, Celebrantem, & Ministros sedere posse, dum cantentur Epistola, & Graduale.

42. Mis-

42. Missas, quæ circumferuntur, à sacra Rituum Congregatione non approbatas, Sancti Gregorij pro viuis, & Defunctis, XV. Auxiliatorum, & de Patre Æterno, & quascunque alias, exceptis ijs, quæ sunt permissæ certis Regularibus tantum, veluti Rosarij Sanctæ Mariæ de Carmelo, & alias, sicut etiam Officia ab eadem non approbata, Sac. eadem Congreg. prohibuit, rejecit omnino, & damnauit respectiuè, & pro prohibitis, rejectis, & damnatis haberi voluit: 8. Aprilis 1628.

43. Declarauit autem nouissimè eadem Sac. Rit. Congregatio per hoc Decretum, non prohiberi Missas XXX. pro Defunctis à D. Gregorio institutas, in Dial. c. 55.

44. Abrogatus fuit abusus deferẽdi nocte in fer. 6. Parasceue Sanctiss. Eucharistiam, à Sac. Congregatione super negotia Episcoporum die 22. Martij 1596.

DECRETA,

Quæ diuinum Officium respiciunt.

Consecrator Ecclesiæ potest in actu Cõsecrationis statuere aliũ diem, pro anniuersaria ejusdem consecratione: die 19. Februarij 1585.

2. Qui

2. Qui sunt de gremio alicujus Ecclesiæ debent recitare Officium, quod in Choro dicitur, licet morentur alibi: die 8. Septembris 1602.

3. Clerici, licet adscripti alicui Ecclesiæ, & ejusdem seruitio, non tamen obligati Choro, & quicunque alij Clerici Sæculares, Regularesuè in Ciuitate, vel Diœcesi commorantes, non tenentur recitare Officia propria Sanctorum illius Diœcesis, vel quæ de consuetudine in eadem Ecclesia recitantur in Choro: die 8 Septembris 1602.

4. De Sancto, cujus Reliquia insignis habetur, & approbata, fieri potest Officium duplex: die 23. Nouemb. 1605. & 8. April 1628

5. De Sancto Canonizat ... eri Officium extra propria ... clesiam sine nouo Decreto Sac. Rit. ... ongregat. 9. Decemb. 1628.

6. Vesperæ defunctoru ... mensis dicuntur post Vesp. et ... seu fest. si accidat: 23. Maij 1603.

7. Psalmi Graduales, & Pœnitentiales dicuntur licitè vbi est consuetudo, pridie Vesperi feriæ quartæ, & sextæ: die 2. Augusti 1603.

8. Non

8. Non est relinquendum Officium Breuiarij debitum pro Officio deuotionis 29. Nouemb 1603.

9. Dedicationis festum extra actũ ejusdem, non potest mutari ab Episcopo: die 16. Octobris 1604.

10. Si accidat Dedicatio in Natiuit. B. V. fiat de eadem Dedicatione, & cantentur potius duæ Missæ, & infra Octauam fiat de digniori, vt in Rubrica de concurrentia Octauarum: die 16. Octobris 1604.

11. Episcopus Regularis debet recitare Officium juxtà rit. suæ Diœcesis, non Regulæ: die 11. Iun. 1605. *Ideò occurrente festo Regulæ in festo Diœcesis, hoc perferri debet.*

12. Capellani Episcopi, qui cum eo recitant Officium, se conformare debẽt cum eo: 11. Iunij 1605.

[illegible]tum Patroni loci celebrari potest [illegible]a, à Regularibus, vt censuit [illegible]c. Rituum Congreg.

[illegible] Non potest Episcopus extendere Officiũ, quod fieri solet in Ciuitate, ad Diœcesim: die 16. Ian. 1607.

15. Officium paruum B. V. debet dici in Choro, etiam in semidupl. & Dominicis, si adsit consuetudo: 1. Sept. 1607.

16. Matutinum Defunctorum in die Cõmemo-

memorationis omnium fideliũ Defunctorum, recitandum est mane, & non pridie Vesperi: die 1. Septembris 1607.

17. Festum S. Caroli in Prouintia Mediolanensi celebrari potest ritu duplici: 20. Nouembris 1610.

18. Festum, & Officium S. Conradi. Placentiæ tantum., & Nettinæ in Sicilia concessa sunt die 19. Maij 1614. & Ordini S. Francisci. 13. Septemb. 1625.

19. Nomine festi nouem lectionum intelligitur etiam Dominica: die 12. Martij 1618.

20. Præter propriæ Eccle[illegible] nem celebrari quoque debet [illegible] Dedicat. Ecclesiæ Cathedralis, in [illegible] quidem cum Octaua, in Diœcesi sine Octaua, ex Decreto Sac. Rituum Congreg. 2. Maij 1619. *Erit tamen in Diœcesi quoque prima Claßis festum, instar eorum, quæ transferuntur vltra Octauam, & sine Octaua celebrantur: vel vti festum Patroni loci, quod celebrari debet à Regularibus, qui tamen non tenentur ad Octauam celebrandam.*

21. Festum S. Iosephi est de præcepto vbique die 8. Maij 1621.

22. Festum S. Annæ est de præcepto vbique die 23. Aprilis. 1622. ex Bullis Gregorij XV.

23. Si

23. Si titulus Ecclesiæ est de Cruce, sufficit commemoratio de Cruce, quæ in officio feriali dicitur. 30. Mart. 1621.

24. Liber Esther aliquando omittitur ob festum Angeli Custodis: die 9. Nouemb. 1622.

25. Vesperæ in Sabbato ante Dominicā priuilegiatam, in qua occurrit dies Octaua, dicuntur de feria, scilicet Psalmi Sabbati, & à Cap. fit de Dominica priuilegiata, & in fine fit commemoratio diei Octa-[illegible] Vesp. festi 9. Nouembr 1622.

[illegible] ompletorij Purific. B. V: dicitur, Ane [illegible] ina 27. Iulij 1624.

27. Symb[illegible] m S Atanasij laudabilius recitatur st[illegible] n Choro 23. Decemb. 1624.

[illegible] paruū B. V. in Choro tem-[illegible] licitur sine addito, Alleluia. 28. Martij 1626.

29. Litaniæ Majores si occurrant in die Paschatis, transferuntur in fer. 3. sequentem: die 25 Septemb. 1627.

30. Officium Stigmatū S. Francisci concessit Paulus V. celebrari posse vbique ad libitum Cleri; duplici quidē Offic: in Religione S. Francisci, extra eandem semidupl. vt patet ex prima editione Rom: & per Decretum Sac. Rituum Congreg. die

28. Au-

28. Augusti 1615 & rursus. 2. Octobris 1627.

31. Festũ Angeli Custodis est duplex minus: die 2. Octobris 1627.

32. Non potuerunt, neque possunt locorum Ordinarij tàm Regulares, quàm sæculares addere Calendarijs etiam proprij Sãctorum Officia, nisi ea duntaxat, quæ Breuiarij Romani Rubricis, vel sac. Rituum Congreg. seu Sedis Apostolicæ licentia cõceduntur: die 8. Aprilis 1628.

33. Item eadem Sacra Rituum Congreg. eadem die, & eodẽ Decreto vetuit, & prohibuit celebrari per totam Ciuitatem, vel Diœcesim, etiam de cujusque Ordinarij auctoritate Missam, vel festum cum Offic. de Sancto, eo quod in loco sit Eccl: Abbatialis. 28. Septemb. 1628. Parochialis, vel Regularis, aut aliqua Reliquia, sed tantum in ipsius Sancti Ecclesia Titulari, seu vbi asseruatur insignis Reliquia, & non alibi.

34. Reliquia insignis est, corpus, caput, brachium, crus, & ea pars, non parua tamen, in qua passus est Martyr, eadem die.

35. Eademque die damnata fuere officia non approbata à Sede Apostolica sub pœna librorum vetitorum, & non satisfaciendi muneri recitandi diuini officij, quæ pœna apposita fuit Decretis supra num. 32. 33.

36. Moniales, in Confiteor, nihil mutent, neque dicant, tibi Mater, vobis Sorores. 28. Augusti 1629.

37. Capellani Monialium dicant Missam de sancto, de quo officium fit à Monialibus, sed cum Missali Romano. 20. Nouemb. 1628.

CONCLVSIONES

Et Regulæ nonnullæ ex Comment. prædicti P. D. BARTHOLOMÆI GAVANTI, In Rub. Missalis, & Breuiarij Romani, Sellectæ in celebratione Missarum, & in persoluendo Diuino Officio ab Ecclesiasticis Viris maxime notandæ, & obseruandæ.

Ex Commentarijs in Rub. Missalis.

QVando Rubrica dicit, Quoad fieri potest Missa cum Officio cōueniat, loquitur Rub. de priuatis Missis: Nã missá Cōuentualis debet semper concordare cum Officio, c. Cum creatura, de celebrat Missarum.

2. Missæ votiuæ quamuis habeant Præfationem propriam si infra Oct: Natiu: Domini celebrantur, non aliam Præfat. admittunt, nisi de Natiu. sicut & festum S. Ioannis Apostoli & Euang. argumento à fortiori.

3. Mutatio colorum in paramentis Altaris, & Ministrorum debet fieri in 1. Vesp. festi. Si autem Vesperæ non sint integræ, is color adhibendus est initio Vesperarum, qui cõgruit illi de quo dicitur Capitulum.

4. Si Officium, & Missa discordant, color Altaris sequitur Officiũ, excepta Missa solemni in Vigilia Pentecostis, & in Litanijs majoribus & minoribus.

5. Pro Missa quacunq; solemni conuenit, vt pallium etiam Altaris concordet cum colore paramentorum Missæ, quod adnotauit rectè P. Ruiz in suo Cerem.

6. Canonicus in Missa celebranda non debet vti Almutia, non enim spectat ad Vestes Missæ, vel Altaris.

7. Qui Missas nouas celebrant, non possunt circuire Ecclesiam ad oblationem, ex Decreto Sacr. Congregationis Trid. Conc. sess. 22.

8. Quando Missa votiua exigitur, v. g. de Assumpt. B. V. de Natiu. ejusdem, & hujusmodi

jusmodi, potest dici missa votiua de B. Maria, prout in Missis votiuis, cum intentione ad honorem Assumpt: Natiuit. B. Mariæ, &c.

9. Si dicatur aliqua Missa votiua de aliquo Sancto, mutatur in Collecta, Natalitia, seu Festa, in verbum Commemorationem.

10. Orationes, quæ ab Ecclesia certum habent locum, præcedunt quibuscunque votiuis, quæ ad arbitrium Sacerdotis dicũtur, & extremum occupant locum, & sicut votiua, v. g. de Spiritu Sãcto cedit Cõmemorationi festi simplicis, ita cedere debet orationi, A cunctis, vel alijs, quæ secundo, vel tertio loco, jubentur dici: Cæteris autem parib. attenditur dignitas eorum, de quib. est oratio.

11. Quãdo cantantur duæ Missæ à Dom. Passionis vsq; ad Dom. Palmarum, scilicet de fer. & de Sancto semiduplici, tunc in Missa de semiduplici, Oratio secunda erit Ecclesiæ, vel pro Papa, neque dicetur tertia Oratio: Itâ Romæ fit.

12. Quando occurrit fieri commemorationem alicujus Sancti, v. g. in Officio de B. Maria in Sabbato, tunc in Missa ponitur commemoratio illius Sancti secundo

loco.

loco, & tertia Oratio dicitur, quæ alias secundo loco dicenda erat; & relinquitur, quæ tertio loco dicenda erat nisi fuisset facta commemoratio.

13. Oratio pro seipso Sacerdote non debet dici in Missa præsente Episcopo proprio, vel eo majori, vel Principe magno; potiùs est orandum pro Prælato, seu pro Principe præsente, ob reuerentiam eorundem majorum.

14. Dominica priuilegiata occurrens in die Octaua, duas tantum habere debet orationes, de Dom: & de Octaua.

15. In die Deposit. & Anniuers. Summi Pontif. pro Cardinalib. & Episc. dicitur prima Missa. Pro Sacerdote autem dictis diebus in plerisque Ecclef. majoribus Romæ, dicitur secunda Missa pro Defunctis, mutata Oratione. Si tamen dicatur Missa prima, fauet Rubrica in fine Missarum pro Defunctis, quæ concedit Epist. & Euangelia vnius Missæ dici posse in alia quacumque Missa pro Defunctis.

16 Oratio in Tertio, Septimo, & Trigesimo dicenda, non debet dici in ijs diebus, quæ occurrunt inter Tertium, Septimum, & Trigesimum, sed tantum in proprijs diebus assignatis.

17 Orationes extrà Missam dicũtur semper junctis manibus.

18 Quando dicitur Confiteor in principio Missæ, non debet addi nomen S. Patroni loci, vel alterius, pro libito Sacerdotis, quia Pius V. hoc expressè concessit Ecclesijs Hispaniarum, non igitur fieri debet sine Papæ licentia.

19 Gloria in excelsis in votiuis B. M. omninò non dicitur nisi in Sabbato, nec etiam in Ecclesia B. M. Dicitur etiam in Missis festiuis de Sancto, licet officium de eo non fiat, in ejus die festo.

20 Dicto Euangelio, non defertur liber osculandus Vicario Apost. sed tantum modo illis expressis in Rubrica Missalis: Principibus autem magnis ex tolerantia, non autem inferioribus laicis: Et illis alius liber deferendus est, non idem ipse celebrantis, qui proprium eo casu semper osculari debet librum: Ita statuit Sac. Congr. super negotia Episcoporum 22. & 28. Augusti 1589. Neque Commendatario. 17. Sept. 1611. Sac. Rit. Congregatio.

21 Omittens Sacerdos osculum libri, omittit etiam: Per Euangelica, &c.

22 Dari pacẽ cum Patena in Missa prohibuit Pius V. in Epist. ad Archiepiscopum Tarraconensem.

Ex

Ex Commentarijs in Rub: Breuiarij.

NOn poteſt fieri mutatio ritus, vt ſcilicet duplici ritu celebretur feſtũ, quod aliàs ſimplici ſub ritu, vel ſemiduplici decretum eſt; Pius enim V. in Bulla Breuiarij, non modo præcipit ſubſtantiam, ſed etiam modum, & formam Horarum Canonicarum.

2 De Sancto, cujus reliquia non inſignis habetur, ſi concedatur Officium, debet eſſe ſemiduplex, ad differentiam inſignis reliquiæ.

3 Feriale Off. Domini Officiũ eſt, quod à quocunque ſeruo non debet obrui: & ideò videãt Epiſcopi, ne pluralitate feſtorum fiat injuria Officio feriali Domini Dei noſtri

4 Officium Dominicæ eſt valde venerandum, eſt enim Off. primarium Domini, & ideò non prætermittendum, niſi ob feſtum duplex, & dummodo non ſint Dominicæ priuilegiatæ, vt Aduentus, Quadrageſimæ, &c. Et eſt tam celebre Offic. Dominicæ, quod ſemper de eo ſaltem fit commemoratio, ſi minùs Off. fieri queat, ob feſtum duplex,

5 Omnes dies Octauæ pro vna festiuitate computantur; & ideò appellat Radulphus Octauam, prorogationem festi, ex quo sequitur, quod eo nobilior est Octaua, quo minùs interrupta est à festis aliorum.

6 Octaua Dedicat propriæ Ecclesiæ est major, quam Oct. Patroni loci, seu tituli Ecclesiæ, Dignior verò est Octaua B.V. Assumptæ, quam Octaua Dedic.

7 Primæ Vesperæ secũdis sunt nobiliores.

8 Fit commemoratio de semidupl. ante commemorationẽ diei infrà Oct: quia semiduplex est festum, dies verò infrà Octauam non est festum, sed continuatio festi.

9 Tam de Patrono loci, quam de Titulari Ecclesiæ, fit Off. vt de duplici primæ Classis. Item fit Octaua de vtroq; & quæcunque dantur duplici primæ Classis, & Octauis, eadem concedenda sunt Patrono principali loci in loco suo, & Titulari in Ecclesia sua.

10 Si Patroni plures, seu Titulares conce untur; Offic. quidem singulorum duplex erit, vt dicitur in Rub. de Off. dupl n. 1 Sed Octau. nõ conceditur ex Rub. Breu. de Octauis n. 1 nisi festo principalis Patroni, & principalis item Titularis Ecclesiæ: imò neq; primæ Classis festum erit, nisi sit

si sit solemne principale festum principalis Patroni, aut Tituli Ecclesiæ, vt apertè habetur in Rub. de Commemorationibus n 3. & 4. quale non est Patroni Translatio, nec festa similia.

11 Tanta est solemnitas Patroni loci, vt si incidat in Vigiliam, quæ sit in Calendario, cum jejunio de præcepto nihil in Off. fiat de Vigilia, quæ mæstitiam infert: in mensa tamen jejunandum erit, nisi transferatur in præcedentē diem jejuniū ipsum, auctoritate majorum.

12 In Vigilia Patroni omittitur suffragium commune de Patrono, quod fit per annum.

13 Si Translatio alicujus festi fiat à tempore Paschali ad tempus non Paschale, recitandum erit Off. tempore non Paschali, quod accidit in Translatione aliquorum Sanctorum Martyrum mense Majo.

14 Si occurrant duo festa, sub vna ratione festi, in Calendario Romani Breuiarij, quorum tamen alterum est festum Patroni, seu Tituli Eccl. v. g. Festum S. Sebastiani, cui cum S. Fabiano fit ordinariè festum, eo casu fit de Patrono, seu Titulari tantum, hoc est, de S Sebastiano solo vti festo primæ Classis, non autē de socio, eo die. Qui

verò hac de causa in eorũ proprio die omittuntur, vel sunt in Calendario sub ritu duplici, vel semiduplici & tunc prima die similiter non impedita fit Off: de omissis sub ritu semiduplici, puta in exemplo allato, fiet de S. Fabiano ritu semiduplici post octauam: vel sunt sub ritu simplici, & tunc in ea Eccl: nihil fit de socijs ommissis. Quod si ij, qui diuiduntur sunt altioris ordinis, & Classis, vt in Eccl. S. Philippi Apostoli, de quo solo fit idcircò festum primæ Classis, eo casu prima die non impedita, fit Off: de Translato S. Iacobo sub ritu duplici secundæ Classis, quia est de duodecim Apostolis, & die 4 Maij in Laudibus tantum fiet commemoratio cum 9. lect: S. Monicæ.

15 Porrò prædicta separatione facta Patroni, seu Titularis à socijs, quos illi habent in Calendario Romano, curandum erit, vt Oratio, lectiones, & Euangelium cum Homilia congruunt cum festo, ita, vt pro vno, non pro pluribus, Off. fiat; & deficientibus proprijs, erit ad cõmune Sanctorum recurrendum, reseruata Patrono potiùs Oratione, quam socijs, & in numero singulari accommodata: pro socijs autem sumatur de Communi, vt sit varie-

tas;

tas; nisi forte contingat, de socijs officium fieri extrà Octauam Patroni, seu Tituli, quo casu variandi necessitas minimè vrgeret.

16 Titulus Altaris, seu Capellæ celebrandus est sub ritu, prout in Calendario Rom: describitur. In quo si neq; nominatur, ad illud Altare celebrari poterũt Missæ festiuæ, cum Hym. Angelico. Sed Off. nullatenus fiat sine licentia majorum, ad quos attinet officia mutare.

17 Si Altare titulus est beneficij; Beneficiatus adhuc non debet Off. recitare de eo, vt de festo primæ Classis, neq; alio ritu, quam in Calendario sit descriptus, & eo ibidem non descripto, non potest propria auctoritate, de eo recitare Off. Si verò titulus est Ecclesiæ dirutæ ad illud Altare translatæ, ille qui emolumenta præd. Ecclesiæ percipit, æquum est, vt recitet Off. de eo in ejus festo, ne depereat cultus illius Titularis Eccl: & ritus erit semiduplex, nisi dignitas ejusdem aliud exposcat. Sed in his casibus consulatur Sac. Rit. Congregatio.

18 Beneficiatus quilibet habens Ecclesiam, quæ est Tit. beneficij, licet apud eam non resideat, debet tamen festum ejusdem colore,

colere, vti primæ Classis, & cum Octaua celebrare, quia est festum tituli Ecclesiæ.

19 Vesperæ defunctorũ cum Matutinis, & Laudib. debent dici, & persolui ex præcepto ab ijs, qui tenentur recitare Diuinũ Off. in die Commemor. omnium fidelium Defunct: cum sit pars Diuini Off. eo die præscripti: Et cum sit pars notabilis, ad restitutionem fructuum tenetur Beneficiatus ad ratã Vesperarũ, vel Matutini, vel vtriusq; si totũ prætermisit Off. Defunct.

20 Quando fit Off. plurium Confess. siue Pontif. siue non Pontif. datur facultas mutandi verba, tum in Oratione tum in Sermonibus, vt sonent numerum pluralẽ: Non tamen in Sermone S. Gregorij ex lib. moral. Deridetur iusti simplicitas; quia nõ est propriè sermo de Sancto, sed tractatus, & Exposit. lib. Iob. In Antiph. Resp. Hym. & Homil. nulla fit mutatio, licet non quadrent pluribus, quia nimia esset mutatio, & perdifficilis, vt congruat in omnibus.

FINIS.

$X + 24 = 48$

$x = 24$

